Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Peccans & Pœnitens ex II. Samuel. XXIV. & I. Paralip. XXII. : Disputatione Theologica In Inclyta Argentinensi Academia

Recusa, [Straßburg?]: [Verlag nicht ermittelbar], Anno 1703

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0001
DFG

49 W. 5.

49.

Fa-1092(49.)

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0002
DFG

1. Romanus Teller de Philosophismo exegetico. Lipsiae 1798.
2. Herm. Christo. Engelkenii Pentas dictorum Scripturae V. T. a manifesta generatione vindicatorum. Rostoch 1720.
3. Jo. Christian. Klemmius de veritate historiae doctrinae Mosaicae ex monumentis historicis usque ad finem libri Josuae deducta. Lub 1776.
4. Jo. Friedr. Cottae specimen secundum observationum ad Gen III, 22. Gott 1738.
5. Progr. de acquiescentia Dei Patris in satisfactione Jesu Christi ad Joh VIII, 21. Regiom 1738.
6. Phil. Dan. Krüger de sensu literali promissionum Abrahamo et injunctae semini effectae factarum. ad Gen XII, 3. XXII, 18. Gal III, 16. Jen. 1738.
7. Jerem. Friederici de angelo redemtore Patriarchae Jacobi vindicatore ad Gen XXXII, 26. XLVIII 15. Hos XII, 4. Lipsiae 1729.
8. Fried. Guil. Stromeyer de Jacobi de Josephi vaticinio Gen XLIX. 14. 15. Gotha 1738.
9. Jo. Rud. Rudolphi de benedictione Judae ad Gen XLIX. 8–12 Brem. 1702.
10. Henr. Scholtzius de מלך ad Gen. XLIX, 10. Aeton, 1798.
11. Progr. de ad Exod XII, 15. Lipsiae 1716.
12. Fried. Bened. Kettner de sanguine foederis ad Exod XXIV, 8. Lipsiae 1708.
13. Gottfr. Jungst de sanctione foederis Sinaitici ad Exod XXIV, 9–11. Brem 1708.
14. Jean Michael Doederlein de Candelabris Judaeorum sacris ad Exod. XXV. Witeb. 1711.
15. Jo. Christi. Hebenstreit de sacrificio a perjuro offerendo ad Levit V, 20–26. Lipsiae 1739.
16. Sam. Andreae De duello nunquam legedivina impunito ad Lev XIX, 20. Marp 1685.
17a. Jo. Mart. Haefner de jurejurando filio soli praestito ad Jos IX Gotha 1737.
17.b. Jurt. Georg. Zeltnerus de Debora inter Prophetissas eruditione stet 1708.
18. Programma ad Jud 2 Sam VII, 12 Lipsiae 1730.
19 Christo. Sam. Scharfius de Davide contra Nabalem ad 1 Sam XXV, 22 Lipsiae 1703.
20 And. Geor. Wächtler de Lindorensi Praestigiatrice. ad 1 Sam XXVIII. Gotha 1738.
21. Idem de Davide, tot abidarum victore, tot aliarum numero exempto Gotha ad 2 Sam VIII, 2 Gotha 1738.

22 Ruth. Rebelius de Davide peccante et poenitente ad 2 Sam XXII et 1 Paralipomenon. XXII. Argent. 1685 rec 1703.
23. Sam. Aug. Junghans de terra Spheir Lips 1737.
24. Geor. Christo. Backofen de unctione Elisaei 2 Reg XIX, 16. Lips 1708.
25. Dan. Otto Wahrendorff de resurrectione Jobi cum Sotere Psalt cum Paralipomenis Crypt Gott 1730.
26 Seb. Gottfried Starcke Diss. in loca quaedam ex Psalmorum Davidis in laudem regis sui et duces Vindocinensis male adhibita Gryphius 1706.
27. Progr. de regis christus elogiis ad Ps 11. Helmst. 1713.
28. Paul Gjonggjorsi a Petrejen de corona Dei per epocleis Psalm XIV. 2. Gand. ad Viadr. 1727.
29. Jo. Geor. Neumanner de spe meliori vitae ad Ps XVIII. 15 Witteb 1701 recus 1716
30. Christo: Arg. Hermanni Commentarius in Ps XXIX Gott 1730.
31. Geor. Ludov. Oeder de Pane Angelorum ad Ps. LXXVIII 26 Onold. 1730
32. Paul Gjonggjorsi a Petrejen de aureo candelabro templi Exod XXV. 3. Lev XXIV. 4 Apocalyps II. 1. Symbolo Davidis ad Ps LXIX, 10. Arnst 1730.
33. Geor. Ludov. Oederi Commentatio in Proverb. XXIV. Onold 1734.
34. Curden Commentatio in Jes VII, 8. 9. ib 1734.
35. Joh. Fried. Koeberus de Ps 2 Jes IX, 6. Gorae 1762.
36. Jo. Phil. Pfeifferus de Christo vero Deo ad Jes XLV, 14. 15. Regii 1685. Rec. Hamb 1739.
37. Mich. Waltherus de Christo Deo adjudicato ad Jes XLV, 15. Witeb 1690
38. Joh. Jac. Bosius de Sponsae ornatu splendoris ecclesiae ad Jes XLIX, 18. Lips 1738.
39 Joh. Heinerus de pluvia mystica ad Jes. LV, 10. 11. Witeb. 1675.
40. Joh. Geor. Michaelis de cane Symbolo Prophetae ad Jes. LVI. 10. 11. Fcft 1734.
41. Joh Christ. Helenstreit de Isaiae Cap LIII. com. 19 inc. Dimetben Do Lips 1737.
42. Dietr. Herm. Kemmerich de eloquentia Jeremiae ad Jerem II. Lips 1703.

43. Andr. Daniel Hubichthorstius de Statutis non bonis Israelis ad Deo datis ad Ezech XX, 25. Berol. 1699.

44. Georg. Fridr. Wiebel de juvenum Calorum ad Hos XIV, 2. Jena 1730

45. Jo. Wich. Boliep Jonas illustratus et vindicatus contra Hora. von der Hardt. Halberst. 1726.

46. Carp. Gottfr. Thuedinus de gloria templi secundi ad Hagg II, 10. 1661. renov. Jen. 1719.

47. Jon. Conr. Schramnius de concordia templi secundi ad Hag II, 10. et Actor II, 1. Helmstad. 1738.

48. Progr. de sanatione in alio sabbati instituta ad Malach IV. 1. ger. 1737.

49. Gust. Georg. Zeltnerus de virgine erudita Judaea per transeuntes Zach V, 7. Alt. 1717.

50. Jon. Conr. Schramnius de Maccabaeis de resurrectione mortuorum veritatis testibus ad 2 Maccab. VII, 1. Helmstad. 1708.

Q. D. B. V.

DAVID Peccans & Pœnitens

ex II. Samuel. XXIV. & I. Paralip. XXII.

DISPUTATIONE THEOLOGICA

In Inclyta Argentinensi Academia,

PRÆSIDE

VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo ac Excellentissimo,

D. BALTHASARE BEBELIO,

SS. Theol. Doctor. & Prof. Publ. atqve

Ecclesiaste Gravissimo,

Dn. Patrono, Hospite ac Præceptore suo, ea, qva par est, observantia, venerando,

SOLENNITER


exhibendus

a Respondente

RUDOLPHO GRISCHOW, Gedanense

Die April. A. M. DC. LXXXV. H. L. C.

Recusa Anno 1703.



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0010
DFG

Q. D. B. V.

Prooemium.

ELogio satis heroico Gustavum Adolphum, Svecorum Regem Gloriosissimum, Heinsius in Panegyrico qvodam mactasse dicitur : SEMPER REX FUISTI, NUNQVAM PUER! Hic Sagatus æqve ac Togatus, Justitia, Pietate (preces vid. apud Dn. D. *Dannhavverum* im Englischen Kirchen-Schutz homil. XIV. p. 269. & 270.) Fortitudine, (qvæ ei cognomentum Magni peperit, in qva etiam pro gloria divina strenue occubuit,) aliisqve Regiis heroicisqve virtutibus Regem se præstitit. Exinde vivum Christiani Regis exemplar universo orbi se exhibuit, ut alterum fere in eo Theodosium Magnum, qvem *Joachimus Pasterius* elegantissime libello integro delineavit, conspicere qveamus. Vitam ac res gestas Gustavi Adolphi *Vensceslaus Clemens a Lybeo-Monte* libris IX. qvos Gustavidos inscripsit, carmine heroico complexus est. De his autem, & id genus aliis sat multis, qvæ longam reqvirerent panegyrin, cum in tam brevis chartæ angustias, inprimis instituti ratione id prohibente, compingi neqveant, præstat silere, qvam pauca dicere. Enimvero Davidi hoc competere elogium, qvis est qvi ignoret? Erat sane David grandium ferarum debellator, magnus in puero heros, ex pastore miles, ex milite Dux, ac deniqve nobilissimi regni moderator. Erat ille vates regius, psaltes purpuratus, Princeps laureatus, Rex apprime sanctus, cujus oracula in rebus dubiis pro face, citharа in communi patriæ luctu, solatio, gladius inter Martios tumultus præsidio esse potest. Qvanqvam vero rectissime hæc de Davide dicta sint, ut pariter exclamare possimus: SEMPER REX FUISTI, NUNQVAM PUER! utinam tamen & dicere liceret: SEM-

PER REX FUISTI, NUNQVAM PECCATOR! *Utut enim*, loqvamur cum *Drexelio* in tract. de Davide cap. I. *hic Vir sit, qvi Cæsaribus, Regibus, Principibus, Dynastis, qvi Dominis & Servis, opulentis, egenis, summis, infimis, omni hominum ordini facem præferat exactissimæ virtutis: nævos tamen in eo reperiri non negamus. Habet & Sol suas maculas. Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est qvi minimis urgetur. Senec epist. 6. Extersæ Davidis maculæ nitorem Sanctimoniæ non leviter acuerunt. Si non peccantem David cerneremus, certe nec ita pœnitentem haberemus. Peccati dulcedinem acerbitas doloris longe superavit. Ut igitur non solum inviolata, sed & post lapsum restaurata Sanctimonia qvod imitaretur cerneret, Regum optimus David in utroqve proponitur illustrissimum exemplar.* Idem propositi finis est, cum *ex 2. Samuel. XXIV. & 1. Paral. XXII.* ubi numeratio Populi Israelitici, ingenti strage nobilitata, recensetur, DAVIDEM PECCANTEM ET POENITENTEM, pro virili publice exhibeamus. Sanctifica vero nos DEUS in veritate tua, qvia sermo tuus est Veritas!

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0012
DFG

CAPUT I.
DE
DAVIDE PECCANTE.
SECTIO I. EXEGETICA.
§. I.

ANteqvam rem ipsam aggredimur, præmittendum est II. Samuel. XXIV. caput per ὑστερολογίαν, Scripturæ S. non infreqventem, ad caput XXI. pertinere, qvod collatio, Paralip. XXI. demonstrat, ut B. *Bidembach.* Homil. in Libros Samuelis, homil. CXXXV. p. 1071. & cum *Vatablo* not. ad h. l. p. 251. & *Glassio* Gram. S. lib. IV. tract. II. observ. XXIX. p. 755. edit. vet. (p. 927. edit. novæ) observat *Prukkerus* Vind. Bibl. ad h. l. p. 90. nec non Dn. D. *Sebast. Schmid*, Patronus ac Præceptor noster venerandus, in Comment. MS. ad II. Samuel. XXIV. qvi jam sub prælo desudat.

§. II. Peccati hujus a Davide commissi causam impellentem fuisse Satanam, interpretes consentiunt; minus recte autem *Hieronymus* in cap. 2. ad Ephes. & *Abulensis*, citati a *Sanctio* in II. Reg. XXIV. qvi eorum sententiam etiam admittit, per *furorem Domini* intelligunt Diabolum. Utut enim Assur (qvod unicum urgent) Esa. X, 5. *furor* aut *Virga Dei* dicatur, qvia *per eum, tanqvam virgam, populum castigaturus erat, & iram suam adversus peccata declaraturus*, ut loqvitur *Glassius* Rhetor. S. qvæ est Lib. V. tract. I. cap. VII, p. 162. (1163.) hic tamen illa loqvendi formula eundem non habet sensum, qvia הסיף אף יהוה לחרות בישראל *& addidit furor Jehova irasci in Israel*, ita exponendum est: *& iterum irascebatur Jehova Israeli*, conf. *Glass.* Gram. S. Lib. III. tract. III. can. XXXVI. p. 347. (626.) ubi varia hujus phraseos exempla prostant in Scripturis passim obvia. Deinde nullibi in S. Literis *furor Domini* Diabolus appellatur. Objicit Hieronymus Versionem LXX. in qva non legatur ὀργὴ λέγεται, sed λέγων. Verum verba ipsa ita se habent; Καὶ προσέθετο ὀργὴν κύριος ἐκκαῆναι ἐν Ισραὴλ, καὶ ἐπέστησε τὸν Δαβὶδ ἐν αὐτοῖς, λέγων, ubi λέγων, non ad ὀργὴ, d.

ad ἀνέσῃ refertur. In fonte Ebræo אף — יהוה qvid proprie notet, exponendum erit. אף & *naſum, unde ſpiramus, & iram, per crebram illam ac concitatam ſpirationem ſe exſerentem, ſignificat, a Rad.* אנף *indignari, aut ira commoveri, qvia ſcil. ſanguine circa cor ex ira ebulliente ac fervido, plures exinde Spiritus concitantur, qvia per nares dilatatas crebro prorumpunt cum qvadam vehementia. Deo ſi tribuitur ira, notat juſtiſſimam ejus ac infinitam erga peccata diſplicentiam, ind. qve ortam ultionem ſeveram.* vid. B. Dn. D. *Geier.* T. I. Pſ. Comm. in Pſalm. VI, 2. p. 86. Notat. idem eodem T. I. Pſ. XXXVII. 1. p. 648. verbum חרה exarſit, tam expreſſe cum nomine אף conſtructum, qvam elliptice ſine eo occurrens, ut Pſ. XVIII, 8. uſurpari de æſtu animi in ira vehementiori, ubi aliqvis totus ferme accenditur, merasq; ſpirat flammas &c. Cum vero facile Lectorem turbare poſſit, qvod iram Dei *commoviſſe* Davidem legat, ſenſum ejus exponemus. *Grotius* in notis ſuis ad II. Reg. XXIV. activum pro paſſivo hic occurrere urget, more Script. S. freqventi, ut ſenſus ſit: David commotus eſt, ſcil. a Diabolo. Qvam expoſitionem nec Dn. D. *Calovius* in Bibliis ſuis Anti-Grotianis refutat. *Glaſſius* ellipſin nominis hic conſtituit, ut cum dicitur: & incitavit Davidem, ſub intelligatur, Satan, qvæ vox I. Paralip. XXI, 1. completur: Gram. S. Lib. IV. tr. 2. obſerv. 1. p. 697. (882.) idem ſentit *Junius* & *Pruck.* in h. l. At, *Subjectum hic nullum niſi iram Dei eſſe, textus cohærentia non patitur aliqvid ſubaudiri,* uti exponit Dn. D. *Schmid.* l. c. qvi „& addit: *Utrumq; verum eſt, & Deus incitavit, & Diabolus; ſed diverſo* „*reſpectu utriq; tribuitur. Diaboli factum eſt incitationis, is revera* „*fecit: at Deus incitare dicitur ob permiſſionis ſuæ pondus, ſine qva ſc.* „*Diabolo incitare non potuiſſet, ne dum qvicqvam effeciſſet, adde Franz.* „*in Interpr. Scripturæ* Oraculo XVI. p. 228. *Significanter dicitur* 1. Par. „XXII, 1. *qvod Satanas ſteterit adverſus Iſraelem, h. e. accuſaverit coram* „*Deo, ut permiſſionem ſc. obtineret incitandi Davidem, atqve ob iſtam* „*permiſſionem Deus incitare dicitur. Atq; hæc interpretatio hinc* „*qvoq; apparet qvod Deus dicitur incitaſſe Davidem in Iſraelem. Nam* „*hoc interpretative intelligendum eſt: cum David nihilominus cogitave-* „*rit, qvam qvod vellet Iſraeli damnum creare. Interpretative itaqve*

eſt

est etiam accipiendum qvod Deus dicitur incitasse, ut tamen nulla DEO, impingatur culpa, aut mali causatio. De voce שׂטן notandum, qvod ipsa radix sit, & proprie designet osorem, extreme alteri infensum, omnibusqve modis lædere ipsum satagentem, qvomodo tam de hominibus 1. Reg. V, 4. & alibi, qvam de Angelis, tam bonis, Numer. XXII, 22. qvam malis Jacobi I, 1. &c. observ. B. *Geiero* T. II. Psalm. CIX, 6. p. 667. Ultima acceptio in nostro loco obtinet. De voce שׂטן conf. Dn. D. *Pfefferi* appendicem ad Dubia vexata Scripturæ S. in Ebraicis & Exotericis vocibus N. T. Loc. XI. p. 19. De suggestionibus Diabolicis varie hac occasione disputari posset, qvando nimir. Diabolus pravas cogitationes hominibus suggerat: Breviter tamen qvædam addemus. Non hic corporalem respicimus obsessionem, qvæ intimam & substantialem notat præsentiam, ita, ut, non nisi permittente Deo, humanum corpus Satan substantialiter intret, ibiq; tam qvoad ἕξιν, qvam qvoad ἐνέργειαν habitet Luc. XI, 29. conf. Dissertatio Theologica de Satanæ obsessione, qvæ B. *Dorschei* nomen qvidem præ se fert, ipsius autem fœtum genuinum esse vix probabile est. Potissimum vero qværitur, an Satanas, cum spiritus sit, corpus hominis penetrare, animæq; ejusdem secundum substantiam præsens esse, eiq; tentationes, & malas cogitationes suggerere, & sic non nisi moraliter ad hæc vel illa incitare possit? Qvod ipsum affirmative fusius pertractat B. *Christian. Chemnit.* in disput. inaugur. de Tentationibus spiritualibus, Jenæ Præs. B. *Majore* habita. § XXII. seq. Enimvero fatendum est nos rem qvidem scire, modum autem ignorare. Qvare, qvæ circa hunc suggestionum Diabolicarum modum a variis varie nobis proponuntur, subtilitati potius, qvam utilitati & veritati tribuimus. Pravas Satanæ suggestiones h. l. applicatas, Deo permittente, videmus; illas autem a Davide admissas, Deo indignante, dolemus.

§. III. Prætereunda autem non est causa, ob qvam Dei furor exarserit contra Israel, Davidemq; commoverit. Varias in hac exponenda adducunt Interpretes sententias. Referunt nonnulli *Theodoretum* qv. XXXVII. qvod statuerit, fuisse *rebellionem populi adhærentis Absolomo adversus Regem.* Sed respondet *Corn. a Lap.* Comment. ad 2. Reg. XXIV.

ob

ob hoc peccatum cesa jam fuisse viginti millia & amplius, cap. XVIII. licet forte hæc pœna tanta non suffecerit. Sanctius Comment. in 2. Reg. XXIV. *nullum populi suspicatur antecessisse peccatum, sed potius ex hoc Davidis subsecutum. Ideo enim Satanas illam injecit Davidi mentem, ut numeraret populum, ut & ipse peccaret, & in peccati societatem populum perinheret. Et ideo tunc Domini furor in populum exarsit, qvia novum aliqvid admisit, suggerente Diabolo, qvod divinam inflammaret iram.* Sed hæc sententia historiæ seriem penitus invertit, qvia Deus non demum post, sed jam ante numerationem populi contra Israel iratus erat. Idem *Theodoretus* ibidem dicitur asseruisse, qvod in eo a populo peccatum sit, qvia adhæsit Sauli, cum tamen a Deo foret solio depulsus, & qvod cum eo simul adversus Davidem, a Deo designatum Regem, conjurarit. Verum R. Saulem tum temporis regia dignitate nondum fuisse exutum; sed tantum ob sua qvæ commisit, peccata, a Deo varie punitum. 2. Davidem Regem qvidem eo tempore designatum, nondum vero populo propositum & coronatum fuisse. 3. Qvod populus Israeliticus Sauli adhæserit, atqve in iis, qvæ nec honorem Dei, nec caritatem proximi læderent, obedientiam ei præstiterit, non peccavit; dum autem innocentem Davidem injustis opprimere juvit armis peccavit qvam maxime. 4. Non igitur qvæstio est, an Israel tum peccaverit; sed an ob illud peccatum jam pœnas dederit? qvod cum probari neqveat, nihil obtinet. *Lyra & Cajetanus* censent, hoc Israelis fuisse crimen, qvod *cum Seba conspiraverit, & ad eum defciverit, optimo, Rege Davide rejecto, Sixtus Senens.* in Bibl. S. l. II. p. 54. Recte qvidem respondit *Corn. a Lap.* Sebam ob hanc conspirationem jam punitum; sed qvod addit, *solum Sebam* fuisse *punitum, hinc a Deo castigationem hanc populo reservatam* fuisse, probandum foret. Aliorum sententia, populo ea propter Deum iratum, qvod injuriam Uriæ non fuerit ultus, qvam Angelomus, & alii fovere dicuntur, qvia probatione debita destituitur, sponte sua corruit. Alia sicco pede transimus. Interpretum præcipui totum Israelem variis vitiis pacis sese coinqvinasse affirmant; & sufficit nos scire, Israelem iram divinam vitiis

tiis satis in se derivasse, qvanqvam certas vitiorum species enumerare, silente Scriptura, neqveamus. Qvod vero Deus bonum in finem iratus sit Israeli, eleganter exposuit B. *Brentius* Comment. in 2. Sam. XXIV. T. II. operum p. 834. *Vide mihi*, inqvit, *mirabilem Deum, qvi tunc maxime misericors est, cum maxime irasci videatur. Nam & hic Scriptura dicit: addidit furor Domini irasci contra Israel: sed si probe rem consideraveris, hæc ira summa est misericordia. Nisi enim iratus fuisset Dominus, nisi afflixisset Israelem, nunqvam ab arrogantia sua respuissent.* B. *Lutherus* insignem Dei favorem erga David h. l. observavit, qvod non hunc, sed populum peccasse Scriptura referat T. I. Jen. Germ. in explic. Magnificat f. 781. Das allerzarteste Stücklein/ der allertheuerste Fürst David/ der keinen gleichen/ hinter sich/ neben sich/ nach sich gelassen hat im weltlichen Regiment/ wiewohl er voll GOttesfurcht und Weißheit/ alle sein Ding allein aus GOttes Befehl/ nicht nach seiner Vernunfft richtet und führet/ noch strauchelt er etlich mahl/ daß auch die Schrifft/ da sie sein Regiment nicht kundt tadlen/ und doch des Volckes Unfall solt erzehlen/ das durch David über sie fiel/ gab sie es nicht David/ sondern dem Volck schuld/ und sprach: GOtt sey zornig über das Volck gewesen/ und hab David/ den heiligen Mann/ vom Teuffel lassen bewegen daß Er das Volck ließ zehlen/ umb welcher That willen 70000. Mann an der Pestilentz sterben musten.

§. IV. Causa peccati hujus efficiens principalis, sed jubens, David, proh! dolor, fuit. Ante omnia vero notandum, causam peccati efficientem, Philosophice loqvendo, non dari, cum quicquid a causa aliqva efficienter dependet, ens positivum; peccatum autem, qva tale, privatio sit. Inde *August.* Lib. XII. de Civ. Dei. c. VII. *nemo*, inqvit, *qværat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, qvia nec illa effectio est, sed defectio.* Deficit enim non ab entitate, sed a norma sua, lege Divina. Interea autem, qvia peccatum duo includit, alterum materiale, qvod ens positivum est, & id cui privatio seu ἀνομία adhæret: alterum formale, qvod ipsa ἀνομία est, privatio seu defectus; ideo propter materiale, qvod in agendo defecit, ejus causa efficiens dicitur. Da-

vid qvis fuerit, nemini non ex utroqve Samuelis,& 1. Paralipomenon libris constare potest & debet. Ille igitur primario ad hoc a Satana illicitus & deceptus fuit, qvi & aliis hoc patrandum suo nomine injunxit Qvo vel mundi, vel ætatis, vel regni anno hic populi census referendus sit, non minus inter Chronologos qvam inter horologia convenit. *Torniellus* in Annalib. sacris annum habet ab orbe condito 3016. regni ipsius, *ut arbitratur*, (hoc enim ipse addidit,) 37. mensem hujus anni qvartum usqve ad mensem secundu anni seqventis. Conf. §. 464. & 465. *Josephus* Antiqvit. Judaic. Lib. VII. c. X. annum mundi 2930. *Cornel. a Lap.* annum ætatis 67. qvi fuit regni 34. Comment. in II. Reg. XXIV. in fine §. 96. *Helvicq* in theatro historico annū mundi 2925. regni 36. p. 42. *Calvisio* in Chronico suo annū mundi 2926. §. 248. eundē annū *Compend. Histor. Gothanum* P. I. lib. II. sect. III. §. 192. Dn. D. *Calovius* in Chronico Bibliis Anti-Grotianis præmisso T. I. tab. III. annum mundi 2987. constituit, adeoqve si annus nativitatis Davidis, qvi ab eodem censetur fuisse 2918. subtrahatur ab anno 2987. emergit annus ætatis 69. Litem hanc Chronologicam, iis, qvi in his Duces nostri esse debent, perorandam committimus, & qvia veritatem historiæ nostræ nec impedit nec promovet, silentio obliteramus. Causa cur Diabolus Davidem, non vero Principes ipsius vel alios, ad Davidem commovendum incitavit, hæc est præcipua, qvia Rege, tanquam omnium capite, occupato, reliqvos eo facilius superare potuit. Eleganter hoc deduxit B. *Bidenbach.* Homil. CXXXVI. in libros Samuel. pag. 1074. Der Teuffel ist so listig/ dbß er weiß wo er mit wenigster Arbeit am meisten Schaden thun könne: darumb so reitzet der Teuffel nicht alles Volck/ sondern nur den König. Er weiß daß diese Sünde und die Straffe dieser Süuden solle über daß gantze Volck gehen. Er weiß auch Israel nicht besser zu vexiren und zu plagen/ dann wan er ihren König zu Falls bringe. Und thut eben/ als wann einer mit seinem Feind zu schlagen kompt/ so schantzet er immer nur den Kopff zu. Oder wann einer auff einen Hirsch anschläget/ und er kan ihn durch den Kopff treffen/ so hat er ihn am allergewissesten. Also ist auch der König das Haupt/ wann das

liegt

liegt/ so ligt alles. Er ist das Auge/ wenn das geblendet ist/ so widerfähret allen Gliedern eine grosse Thorheit.

§. V. Causa hujus peccati Ministerialis fuit Joab, ut & reliqvi Duces. Joab, filius Zerujæ, e tribu Juda oriundus, Dux fuit militiæ præcipuus, & in iis, qvæ belli spectabant negotia, secundus a Rege. Summam hanc Dignitatem consecutus erat fortitudine sua. Cum enim primus percussisset Jebusæos, vi promissi Davidici caput Ducum omnium creatus 1. Paral. XII. 6. Appellatur 2. Sam. XXIV, 2. שר החול *Princeps fortitudinis*; ubi abstractum pro concreto, nimirum fortitudo pro forti adhibetur, vid *Glass.* Gram. S. Lib. III. tr. I. c. VII. pag. 26. (394.); Idem autem titulus reliqvis tribuitur Principibus, in hoc facto complicibus, v. 4. Alias חיל nomen generale est, complectens bona qvælibet tam fortunæ, qvam corporis, ceu constat ex Psal. XXXIII, 12. Zeph. I, 13. Obad. v. 13. Mich. IV, 13. observante B. *Gejero* T. 1. Psalm. XLIX, 7. p. 970. Joabi virtutes e variis, partim pro gloria Divina, partim pro salute Davidis totiusqve Regni Israëlitici susceptis expeditionibus elucent. Vitiorum contra præcipuum fuit fraudulenta crudelitas, dum Abnerum, regio a David exceptum convivio, & ab eo rebus bene dispositis dimissum, revocat, atqve in ultionem Asahelis fratris sui, qvem Abner antea peremerat, dolose interfecit. Qvam ob causā David, facinus hoc ægre ferens, Joabo & domui ejus maledixit, imprecans ei ultionem Divinam, 2. Sam. III, 39. qvam subterfugere non potuit. Cum enim Joab Adoniam de modo ad Regnum Israëliticum perveniendi, & Salomonem opprimendi instrueret, hac qve ratione peccatum committeret gravissimum, in tabernaculo Domini, ad qvod conscientia mala instigante fugerat, jussu Salomonis jugulatus est. Conf. 1. Reg. II. Utrum vero circa censum populi, qvem, jubente Davide, instituit, peccaverit, dispiciemus. Displicuisse Joabo Davidis hoc consilium, tam e rationibus ab eo adductis, qvam e testimonio scriptoris θεοπνεύστου apparet. Præmisit ad captandam Regis benevolentiam votum aliqvod, qvo Regi augmentum populi apprecatur, dicens. Addat Dominus Deus tuus ad populum כהם יכהם מאה כצמים

ſicut eos & ſicut eos centum vicibus, & oculis Domini Regis mei videntes. In כהמוכהם demonſtrativi repetitio diſtributionem indicat, & ſenſus eſt: addat Deus ad populum hunc & illum, i.e. Judaicum & Iſraëliticum. Conf. *Claſſ.* Gram. S.L. III. tr. II. can. V. p. 183. (509.) *Buxtorff.* theſaur. Gram. L. II. cap. VI. pag. 394. Nota etiam qvod adjectivis numeralibus ſingularis numeri plerumqve jungantur ſubſtantiva, pluralia, ut h. l. מאה נעמים. Plura hujus rei exempla vid. apud *Buxtorff.* Theſ. Gram. L. II. cap. II. pag. 343. Videntes pro, videant, qvia participium præſentis verbi vicem ſæpe ſubit. Conf. *Glaſſ.* Lib. III. tr. IV. can. 4. pag. 415. (676.) Duobus argumentis propoſitum Davidis conſilium & mandatum eludere Joab conatur. Alterum deſumit ab *inutili*, ſeu *non neceſſario*, dicens: v. 3. Nonne Domini, mi Rex, omnes ſervi tui? Senſus eſt, cum totus Iſraël jam pacatus beneq; ordinatus vivat, ac tuo regno, tuoq; honori & commodis ſtudeat, qvem igitur in usũ hæc numeratio erit? Alterum perit a *pernicioſo*. v. 3. propter qvid erit in Iſraël delictum? Imd Joabo abominabile fuit verbum hoc Davidis II. Paralip. XXII, 6. Notat hic *Sanctius* Joabi prudentiam acutumqve judicium, qvod non dixerit peccaturum eſſe Regem hac numeratione, ſed qvod in peccatum illud foret reputandum Iſraëli. Verum, dum molli brachio jam ſe opponit Regi, cum tamen alia vice, nimirum cum Rex Abſalomum lugeret, fortius rem egiſſet, &, ut loqvitur *Drexelius* tract. de David. cap. XXIX. *oris lixivio Regim ſuum defricuiſſet*, juſſionem conſcientiæ ſuæ adverſantem exſeqvitur, ne gratia Regis penitus excidat. Male igitur *Menochius*, referente *Polo* in Synopſi Critic. ad Sam. XXIV, 4. *paruiſſe* ait *Joabum citra noxam, qvia res erat per ſe indifferens, & homo ſine potuerit fieri.* Nos dicimus cum B. *Brentio* Comm. in II. Sam. XXIV. pag. 835. *Recte ſentit Joab, & recte reſtitit Davidi; ſed qvia impius erat, ideo in juſtitia non perſeverat, ſed impium Regis mandatum exeqvitur. Nec eſt qvod excuſetur Joab tanqvam fecerit coactus. Nemo enim debet permittere ut cogatur male agere.* Graviter de hoc ipſo loqvitur etiam B. Bidembach. l. c. p. 1079. Wann man nicht bald folgen will/ ſoll man darumb nicht gleich dem Herren beyfallen/

fallen/wie Joab dem David/ und das nochmahlen billigen/ oder sich darzu gebrauchen lassen/ was man zuvor selbst wiederrathen hat: sonderlich was Gewissens Sachen seyn/ da sol man vielmehr darwider protestiren/und kan mans nicht verhindern/ soll man doch nicht darzu helffen/sonst macht man sich fremder Sünden theilhafftig/ und wird desto weniger Entschuldigung haben. Qvare rectissime dissuasit Joab, Vir qvi bonum melius scivit,qvam fecit. Reliqvi Duces & Principes, hujus facti complices, excusari neqveunt: qvia si peccatum esse agnoverunt,intermittere debuissent,ne conscientiæ suæ cauterium inurerent. In ejusmodi enim causa *Deo magis obediendum qvam hominibus* Actor. V,29.qvod si vero peccatum id esse ignorarunt,ulterius in rem inqvirere debuissent,ne cæco impetu in iram Dei prolaberentur.

§: VI. Cum Satan hominum mentem exacte perspectam habeat, non promiscue cuilibet paria persuadere vult vitia; sed ad qvæ hoc vel illo tempore,hujus vel illius affectum propendere animadvertit,ad ea potissimum hominem incitat. Antea, cum Davidem ad libidinem dispositum intelligeret, intuitu Bathsebæ irretire tentabat, qvod & tum effecit. II.Sam. XII. Jamvero, cum Davidem ex hoc damno cautum sciret, alia ratione eum aggreditur. Videns enim hoc tempore Davidem, pace abutentem,ad nominis sui gloriam amplificandam inclinare,suggerebat ei optimum esse adminiculum,si universalem subditorum numerationem institueret. Hac esca Diabolica David, proh! dolor, inescatus est. Consistit igitur peccatum Davidis in numerando populo Israëlitico. *Vade*, inqvit, *& numera*,&c מנה est supputavit,in certum numerum res alioqvin dispersas ac incertas redegit,Conf.B. *Geier.* in Ps.XC, 12. pag. 255. ubi hunc locum II. Samuel, XXIV,3. inter alia adducit. Initium numerationis num præcise a Dan institui jusserit, non est probabile, contentus procul dubio si modo numerum qvam citissime videret,initium facerent ubi commodum visum foret. Dan autem & Bersabe, qvia duæ hæ civitates terræ promissionis extremæ erant, illa, qvæ & dicitur Cæsarea Philippi, a septentrione,hæc adversus austrum sita,proverbio inde totum Israëlitici regni spatium expresserunt. Conf. *Adrichomii* theatrum terræ S. Tab.

Geogr.1. adde pag.105. & 132 ubi descriptiones Dan & Bersabe traduntur. Qvod circa Aroër primo loco castra metati fuerit, D. Kimchi putat ideo a Joabo & reliqvis Ducibus factum, quia ibi deliberaverint unde initium numerationis instituendum. Verum respondet Dn. D. *Schmid.* l. c. *Existimo*, inqvit, *eos id fecisse, donec ad se convocaretur populus terræ circumjacentis ut numeraretur. Qvis namqve credat singulas urbes pagosqve perreptasse? Sic in reliqvis locis castra metati sunt, ut omnino probabile est. Atqve ista de causa non manserunt in ipsa urbe.* Civitatum in textu recensitarum situm & descriptionem ordine, suo loco, tradit *Adrichom.* libro cit. Duravit autem hæc numeratio novem menses & XX. dies v. 8. Numerus qvi emersit, aliter in II. Sam. XXIV. & aliter in I. Paralip. XXII. exhibetur. Ibi ex Israële 800000. & ex Juda 500000. hic ex Israële 1100000. & ex Juda 470000. recensentur. In hujus nodi solutione Interpretes varie desudant. *Polus* in Synopsi Critic. ad II Sam. XXIV. pag. 1526. & 1927. XVIII. congessit expositiones. Verum alias, qvas tum B. *W altherus* in Harmon. Bibl. pag. 402. tum Dn. D. *Pfeifferus* in Dubiis suis vexat. Cent. III Loc. XIII. p. 526. tum & nos ipsi qvotidiana lectione collegimus; transiit. Singulas has ordine examinare si vellemus, nimium dissertatio nostra excresceret. Qvare cardinem totius rei nervose exhibitum, verbis Dn. D. *Schmidii* l. c. ita explicamus. Ita autem ille: *Apud Hebræos*, Inqvit, *inveniuntur tres conciliationes.* (1) *In Chronicis numerari etiam Levitas & Benjamitas qvi hic omittuntur. Qvam sententiam Dav. Kimchi refutat sufficienter.* (2) *In Chronicis annumeratas esse turmas menstruas, de qvibus 1. Chron. XXVII. h. l. a. omissas esse. Qvam sententiam sqvitur Tremellius. h. l. & ut videtur D. K.* (3) *Joabum fecisse geminos catalogos, in alteris verum nimirum, in alteris minorẽ; istorum numerũ haberi in Chronicis: horũ in nostro loco. Seqvitur Vatablus in notis ad 1. Paralip. XXI. Hieron. in qv. hebr. Abulensis. Lyra. Nec displicet Sanctio, qvi tamen putat* (4.) *dici etiã posse populum tum a Joabo, tum ab aliis Principibus numeratum; ab his accurate, ab illo, tanqvam invito, & minus accurate.* (5.) *Osiander existimavit omitti hic imbelles Senes, in Chronicis addi. Sane exhis sententiis reliqvis præferenda videtur secunda. Est tamen, qvod mihi videtur,*

»videtur, omnibus probabilius esse nimirum, qvod numerum Israëlis attinet qvam plurimos in istis tribubus decem fuisse peregrinos & alienigenas »ut numerus usqve ad 30000. se extenderit. Hi itaqve in Chronicis additi »sunt X. tribubus, in nostro loco omissi. Qvod enim a Davide numerati sint, »patet (1.) ex nostro capite v. 6. & 7. qvod censores venerint in terram cir»ca Zidon, munitionem Tyri, & omnes Urbes Chiffæorum & Cananæo»rum, qvas scil. David sibi subjecerat. (2) Ex 2. Chron. II. 17. ubi expresse »habetur qvod Salomo peregrinos numeraverit post numerationem Da»vidis. Atqvi nullibi invenietur qvod David eos numeraverit, nisi hic. »Objici potest, qvod 1. Paral. XXI, 2. David dicitur congregasse omnes pere»grinos; sed respondetur (α) nihil ibi esse de numeratione, itaq; (β) nume»ravit eos hac vice, & deinde ex numeratorum officio congregavit qvos »volebat ad operas præstandas adhibere. (γ) Videtur inter utramqve nu»merationem tempus longum intercessisse, ut numeratione nova opus es»set, natis interim multis aut denatis, aut virilem ætatem ingressis. Jam »vero qvod horum (scil. peregrinorum) ingens numerus fuerit, ex hoc pa»tet, qvod l.c. Salomo 150000. destinaverit laboribus in monte Libano: »cum tamen omnes non destinaverit, sed partem tantum ex numeratis »a Patre. Ut qvid enim alias numerasset iterum? Insuper non omnes, qvi »XX. annos nati erant ad istos labores erant idonei. Qvod vero Judam at»tinet, cujus numerus est major in nostro loco, qvam in Chronicis; credi»derim exercitum servorum Davidis, ut dicebantur, h.e. militum stipen»diariorum annumeratorum, qvod semper essent in tribu Juda apud Re»gem. Eundem vero in Chronicis omissum esse qvod alias notus esset. Cete»rum licet David numerarit etiam mares infra XX. annos, h.l. tamen »tantum numerantur evaginantes gladium, h.e. qvi supra XX. annos: »qvod numerus eorum, qvi infra XX. annos non relatus sit in Chronica »Regum, rejectitius juxta 1. Chron. XXVII, 24.

§. VII. Ulterius jam disqvirendum venit qva ratione David hac ipsa numeratione peccaverit. In diversas denuo Interpretes abeunt sententias. *Augustinus* (referente *Sancto* l. c.) qvæst. 134. in Exod. statuit in eo a Davide fuisse peccatum qvia id fecit, qvod Deus non jusserat.

ferat. *Ambrosius* (ref. eod. Sanct. ibid. Epist. XXVIII. censet in eo constituisse, qvod *David illud scire voluerit, qvod sibi soli Deus reservavit*; qvam sententiam admittit etiam *Sanctius*. §. 15. Sententiam etiam illam, qvæ est, qvod David bello jam non instante populum numerarit, sua probabilitate non carere affirmat *Sanctius*. *Josephus* Lib VII. Antiqvit. Judaic. cap. X. *Lyra*, *Sanctius*, *Lavaterus* in I. Paralip. XXII. illam potissimum peccati rationem constituunt, qvod in hac numeratione peccatum fuerit contra legem Divinam, qvæ est, qvod singuli, cum populus universus numerandus, sit non dederint semiselum in sanctuarii usum, & hinc plaga, qvam Deus ea propter minatus est, vi verbi divini, in populum irruit. Confer. Exod. XXX, 12. 13. Ebræi hanc peccati prætendunt rationem, qvod numeraverit David per capita populi sancti, cum debuisset numerare per agnos, vel aliud qvid. Conf. *Buxtorf.* Dissert. Phil. Theol. pag. 477. seq. notante Dn. D. *Pfeiffero* Dub. vexat. Cent. II. Loc. XCII. pag. 462. seq. Ad has conjecturas reponimus, Augustinum & Ambrosium non incongrue sensisse. Opinio autem de semiselo non soluto nec affirmative nec negative probari h. l. potest. Imo si semiselus non solutus in causa esset, scriptor θεόπνευς procul dubio indicasset, sed vestigium ejus rationis in utroqve loco nullum apparet. Ebræorum sententia nihil in hoc controversiæ momento obtinet, qvia Moses, Josua, aliiqve jam ante David populum per capita numerarant. Imo Moses numeraverat Israel per capita tribus vicibus. Prima Exod. XII, 37. Secunda Num. 45. & 46. Tertia vice Num. XXVI, 51. B. *Franzius* in tract. de Interpret. Scripturæ Sac. oraculo CXXXVII. pag. 881. tres refert sententias, cur numeratio illa Deo exosa fuerit. Prima est, *qvia ex superbia profecta*. Hanc vero *Cornel. a Lap. Brentius*, *Gisbertus Voetius* tract. de peste cap. II. & alii nobiscum tuentur, ita ut *Drexelius*, idem sentiens, inde exclamet in Davide cap. XXXI. §. 1. *Hunc talem numerum scire, & non superbire, rarissimum, vix auditum!* Insufficientem autem hanc pronunciat *Franzius*. Secunda est, *qvia pugnavit cum omnibus modis, secundum qvos hactenus Deus ipse populum aliqvoties numerari jusserit*. Nec

Nec hanc absurdam esse censet. Tertia est qvod *pugnet cum speciali Divina promissione de multiplicando Israele.* Cui etiam subscribit. Eandem dicitur *Oleaster*, teste *Sanctio*, habuisse, persuasus itidem ex I. Paralip. XXVII, 23. De his audiamus ἐπιείκειαν Dn. D. *Schmidii* ad versic. 2. & 3. qvem in his etiam, ut Præceptorem nostrum, seqvimur: »Voluit nimirū David tantum propterea numerare, ut se delectaret »& superbiret, sc. si insereretur annalibus qvantopere auctus fuisset »populus regnante Davide, atq; sic ille æternam in annalibus conse»qveretur gloriam, qvod tam felix sub ipsius Imperio fuisset populus. »Atqve hæc etiam ratio est, qvare juxta I. Paral. XXVII, 24. numerus »annalibus non fuerit insertus: privandus namq; David fuit ista glo»ria, qvam illicite concupivit. Jam vero ista numeratio duplex, mari»um supra, & marium infra XX. annos 1. Paral. XXVII, 23. qvem qvi»dem locum D. Franzius interpretatur de singulari promissione Da»vidi facta; sed videtur omnino accipiendus esse de promissione ab »initio Israeli facta. Hinc non legimus qvod unqvam numerati sint »masculi infra XX. annum, exceptis Levitis: ubi vero ratio in prom»ptu est, ut sc. possent distributiones portionum Levitis destinatarum »in familiarum capita fieri. Itaq; peccavit David ipsa numeratione, & »hoc gravius, qvod superbiæ motu, & neglecta non tantum Joabi, »sed omnium Ducum suorum admonitione. Appellant hoc pecca»tum πολυπραγμοσύνην *Helvicus* in Theatro Histor. pag. 42. & *Calvis.* Chron. sui pag. 248. qvid autem hac appellatione velint, non exprimunt. Si hoc termino intelligunt ἀλλοτριεπισκοπίαν, qvasi David ea, qvæ ad se non spectarunt, suscepisset, qvo sensu hanc vocem *Joh. Funccius*, ex concionatore aulico consiliarius politicus factus, antequam Regiomonti capita truncaretur, adhibuit, dicens:

Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge, seu possem, τὴν πολυπραγμοσύνην,

consentire non possumus, qvia numerare populum suum ad Regem proprie spectat; verum, si indicare voluerunt Davidem multa & minus utila tractasse negotia, admittimus. Posse hanc vocem tam in bo-

no qvam in malo sensu accipi, videri potest in Dictionar. Græco-Lat. ex Budæo, Tussano & aliis conscripto Basileæ edito, in voce πωλυπραγμονέω & πολυπραγμοσύνη.

§. VIII. Effectus peccati commissi fuit ira Divina, qvæ in percutiendo Israel se exseruit. Ita enim dicitur. 1. Paral. XXII, 7. וירע בעיני האלהים על־הדבר הזה ויך את־ישראל *Et malum fuit in oculis Dei super Verbum hoc, & pertussit Israel.* רוע *malum esse, in hiph. significat vel male agere, peccatum committere, qvomodo v. g. Manasse* הרע *male agebat præreliqvis II. Reg. XXI, 11. &c. vel malum alteri inferre, adversitatibus aliqvem cruciare, qvomodo Pharao* הרע העם *male fecit populo Exod. V, 23. Deus ipse* הרע *afflixerat Naemi. Ruth. I, 21. &c.* ut ait *B. Geier* T. I. Pſ. XLIV, 3. p. 842. Posterior acceptio hujus etiam loci est. In qvo enim ira Dei se exseruit, indicatur hoc: & percussit Israel. Prius ita explicatur per posterius, more Sac. Literis recepto. Qvomodo vero percusserit Deus Israel, non additur. Pestem fuisse existimat *Lavaterus* in I. Paral. XXI. qvæ in seqventibus verbis describitur. Utut a non rejicienda sit illa expositio, tamen qvia נכה a qvo Latinorum neco descendere qvidam putant, in genere hic læsionem qvandam tantum indicat, certam pœnæ speciem determinare non audemus. Ex qvibus tamen Divina justitia, omnibus peccatis & peccatoribus infesta, elucet.

SECT. II.

PROBLEMATICA.

QVæstio, an ex h. l. probari possit, Deum esse auctorem peccati, sive per se, sive per accidens, occasione Dei incitantis Davidem ad numerationem populi? pertractari posset; verum qvia scandalosa satis, atqve in sanctitatem justissimi Dei injuriosa nuncupatio, religioni fere ducimus, ut a nobis pertractetur. Mentem vero nostram superius in Sect. Exeget. §. II. exposuimus. Pauca tamen hic in medium afferre liceat. Reformati, seu Calviniani, qvibus tribui solet hujus Qvæstionis affirmatio, conqveri solent qvam maxime per calumniam

am sibi affingi, qvod Deum peccati causam, vel auctorem, statuant. Confer *Maresius* in *Anti-Tirino* Controv. XII. *de peccatis actualibus & causa peccatorum* pag. 604. seqq. ubi inter alia, *nullum*, inqvit, *doctrinæ caput in nostris Ecclesiis receptum, ex qvo per millesimam consequentiam possint adversarii nos reos peragere istius blasphemiæ; imo omnia illa dogmata de Prædestinatione, Providentia, concursu Dei, gratia irresistibili, Libero Arbitrio, ac similibus, ex quibus Jesuita, & qvi cum eorum juvenca triturant, seu calumniæ virus, ut aranea suum ex floribus, conficiunt, nobis sunt communia cum Pluribus & sanioribus Theologis Pontificia communionis, qvorum etiam plerique durius aliqvando, qvamulli ex nostris, loqvuntur, &c.* Eandem cantilenam pro sua innocentia cecinit *Rivetus* T. II. operum qv. VI. p. 215. nec non Calvinianus ille personatus, nempe *Christophorus Massonius*, qvi fuit *Christ. Becmann.* in Anatomia universali triumphante. P. I. c. XXX. seq. pag. 1065. seqq. *Wendelinus* Lib. 1. Theol. Christian. cap. VI. th. 10. Alios ut prætereamus. At flosculi, ex eorum hypothesibus a B. Dn. D. *Ægid. Strauch*, Patrono ac Præceptore qvondam, dum viveret, mihi optimo, in *Definit.* suis *Theolog.* Loc. VIII. *de Peccato* Defin. LIV. in *antitheſi* pag. 147. excerpti, hujus sententiæ reos justissime eos convincunt. Imprimis conferri circa hanc qvæstionem debet B. *Dn. D. Dannhavv. Hodomeria Spiritus Calviniani* P. 1. *Phant.* IV. p. 927. seqq. Videant Calviniani qvomodo defendere qveant *Amyraldum*, qvi, (referente B. *Dannhavv.* l. c. p. 962.) in Defens. Sent. Calvin. p. 65. dicat; *neq; David nummeravit populum, nisi Deo qvodammodo impellente.* Audiamus *Chamierum* T. II. Panstrat. lib. III. c. V. §. 26. p. 43. differentē: *Qvi proprie Davidem incitavit ad peccatum, non Deus fuit, sed Diabolus. Omnino ita est, inqvam, nec aliter* Calvinus. *Verum ad idem peccatum qvodammodo eundem Davidem Deus incitavit: nempe ad peccatum sub ratione peccati, Diabolus: sed ad peccatum sub ratione actionis, Deus: hoc est, actionem proprie: ad peccatum vero per accidens, Deus: at contra ad peccatum proprie & per se Diabolus. Massonius* l. c. p. 1154. Ob schon/ inqvit, anderswo gesaget wird/ wie der Satan David gleich eingenommen habe/ daß er Israel

rael zehlen hieß: So kam doch solch Zehlen von einer höhern Ursach her: nemlich vom Zorn GOttes. Et totus in eo occupatus est, ut omnia, qvæ hic contigerunt, Deo attribuat. Adducit eum in finem varia B. Lutheri verba, qvæ dura qvidem videntur, sed mentem horum verborum Lutheri, more suo, dissimulat, penitusqve omittit. Nunqvam Beatus Vir Calvinianam fovit hypothesin, qvod Deus effective peccata velit, qvam tuetur Maffonius l.c. pag. 1144. contra Himmelium aliosqve. Imo hanc Calvinianorum Doctores in scriptis suis passim defendunt. *Bucerus*, ut fertur, in *Enarrat. Evangelii* Matthæi Cap. VI. pag. 170. de nostra materia loqvitur: *Juste & sancte Deus egit, cum Davidem in tentationem induxit, ut populum præciperet numerari: David autem id præcipiendo gravissime peccavit, & dedit pœnas justissime.* Verum, si Deus, qvi non nisi ad bonum tentat Jacob. I, 13. ipse Davidem ad numerandum populum tentasset, & David obsecundasset, recte egisset. Sic cum Deus Abrahamum tentaret ad mactandum filium suum, & Abraham Divinæ voluntati satisfacere paratus esset; Ideo mirum in modum a Deo laudatus est, ut deinde, ob hanc etiam causam, catalogo credentium insereretur Ebr. XI, 17. Enimvero cum Satan, permittente tantum Deo, superbiæ venenum cordi ipsius infudisset, eiqve qvod obediret, ea propter male egit & peccavit. Deinde: neminem Deus ad peccandum impellit, qvo puniendi occasionem habeat. Qvæ hic Bucerus notavit, & fusius ibi persequitur, vel Zvvinglianismo infectus erat, cum ista scripsit, vel ab Editore qvodam Calviniano interpolata sunt. Hunc enim, simul ac nomen suum Augustanæ Confessioni dedisset, & Lutheri mentem exactius intellexisset, Lutheranum ingenuum fuisse, Domini Theologi Argentinenses, e scriptis Buceri, qvæ possident, demonstrare parati sunt. De causa peccati præter citatum B. *Dannhaverum*, videri potest ex professo *Dn. D. Calovius* in solida discussione scandalosi tractatus *D. Christiani Dreieri*, qvo Deum peccati causam per accidens facere molitus est, & alii sat multi.

QVÆSTIO.

QVÆSTIO.

An David numerando populum mortaliter peccaverit.

§. I.

DAvid ut Rex, & Propheta in S. Literis consideratur. Ut Rex subditis suis legitime imperavit, eosdemqve secundum Legis Divinæ & æqvitatis præscriptum gubernavit, pro nominis Divini gloria totiusqve regni salute varia gessit bella, & curam religionis, qvoad externa, diligentissimam habuit: Ut Propheta, multis, iisqve admirandis, de tum temporis futuro adhuc Messia vaticiniis, inclaruit, confer ea propter Psalmos ipsius varios. Utrum vero populum in præsenti numeraverit ut Rex & Propheta? in qvæstione est. Prius concedimus, non vero posterius.

§. II. Distingvimus inter numerationem populi absolute & in se; & inter numerationem respective consideratam. Si David populum priori modo numerasset, licita fuisset illa numeratio; cum vero posteriori modo, & qvidem malo principio, nimirum superbia, maloqve fine, & ut sacris interereturannalibus, qvantopere populus se imperante fuerit auctus, susceptaab eo fuit, illicitam pronunciamus.

§. III. Distingvi solet inter peccatum proæreticum & mortale. Omne qvidem peccatum proæreticum est mortale, non vero viceversa omne mortale est proæreticum. Nam si e. g. findendo ligna hominem, post terga stantem, interficerem est qvidem peccatum mortale, non autem proæreticum, qvia hoc committitur, qvando deliberato animo hoc patrandum suscipitur. Qvæstio h. l. de utroqve est, an David proæretice & mortaliter peccaverit? affirmamus.

§. IV. Distingvimus inter peccata venialia, & inter peccata regnantia. *Venialia peccata*, pro uti ea definit B. *Du. D. Strauch.* in defin. LXII. Loc. VIII. de peccato pag 173. *Sunt & dicuntur actus ἀνομοι regenitorum, e carnis reliqviis per ignorantiam & infirmitatem oriundi, habituali macula subjectum, per Spiritus S. gratiam repugnans, non cor-*

rumpentes, qvorum etiam reatus tegitur, ob continuam pœnitentiam & per eandem impetratam veniam. Regnantia vero dicuntur, eodem ita definiente, actus ἀνομοι eorum, in qvibus concupiscentia prava dominatur, in Renatis etiam excludentes Spiritum S. cum Fide & Gratia DEI, & qvamdiu peccatum ita dominatur & per Gratiam Spirit. S. ei non resistitur, nec Reatus remittitur mortis æternæ, sed una cum culpa accrescit indies, accedente securitate & induratione. De posteriori qværitur, an hoc David commiserit? qvod affirmamus.

Affirmativa qvæstionis nostra est sententia.

Argum. Qvicunqve aliqvid ex malo principio, maloqve fine, deliberato animo tractat, atqve in eo perseverat, ille mortaliter peccat.

Atqvi David numerando populum, aliqvid ex malo principio, maloqve fine, deliberato animo tractavit, atqve in eo perseveravit.

E. David &c. mortaliter peccavit.

Præmissarum expositio partim per se, partim e superioribus patet.

Antithesis.

Est I. *Smalcii*, qvi in Disput. de Causis peccati, referente B. *Josua Stegmanno* in *Photinianismo* Disp. XLII. §. 3. pag. 484. ita de qvæst. nostra loqvitur: *Numeratio populi pro peccato qvidem jure censeri poterat, si consideratur persona ejus qvi id fecit, nempe Prophetæ & Regis. Alias vero peccatum nullum, qvod a Deo interdictum fuisset, censeri potest. Et hinc est, qvod Scriptura S. testatur Davidem fecisse qvod rectum erat in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus, qvæ præceperat & cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hetthæi, non sic testatura, si aliud etiam peccatum, a Deo expresse prohibitum, commisisset David &c.* Similiter in ead. disput. *David non sæpenumero carne victus fuisse legitur, etiamsi semel atqve iterum (ut vult Franzius) a voluntatis divinæ tramite deflexerit: ex mente vero sacrarum literarum tantum semel &c.*

II. Jo-

II. Johannis Melchioris Stengeri, qvondam apud Erfurtenſes Diaconi Prædicatorum. Hic docuiſſe dicitur, numerando populum Davidem errorem tantum humanum, non vero peccatum mortale commiſiſſe. Patet hoc ex Epiſtola *Jacobi* Schellen/ ad Facult. Theol. Jenenſem Erfurto 17. April. anno 1670. ubi refert inter XII. Puncta a Stengero aſſerta, etiam hunc eſſe: Davids Zehlung des Volcks/ und Petri Verläugnung/ wären bloſſe menſchliche Fehler/ und keine muthwillige Sünden. Ipſe in der Antwort auff die Jeniſchen Cenſuren pag. 44. ait, Es mögen wohl ſolche Sünden Davids heiſſen vorſätzliche Sünden; wenn aber gefraget wird/ obs Todtſünden oder menſchliche Fehler geweſen? ſo werden wohl Jenenſes ſelbſt antworten/ daß es keine Todtſünde geweſen & pag. 49. Solche vorſetzliche Sünden/ ſo aber doch keine Todtſünden/ begehen freylich zuweilen auch die wahren Kinder GOttes. Adde Epiſtolam ejus ad Facult. Theol. Jenenſ. qvæ habetur in B. *Dn. D. Johann Muſæi* gründlichem und außführlichem Bericht von der Buſſe. P. I. Cap. III. pag. 35. in qva fatetur ſe affirmaſſe, & in eo permanere, Davidem ex malo qvidem propoſito peccaſſe, non vero mortaliter.

Object. Refutatio.

Reſponſiones ex ſuperioribus patent. Addimus tamen contra *Smale. I.* Utut Davidis numeratio nusqvam in S. Literis peccati nomine notetur, tamen nusqvam excuſatur: imo, hic, a ſilentio Scripturæ, ad rei negationem N. V. C. Davidis enim peccata alia, Scriptura qvidem ita nec appellat, ut cum ſe mente captum ſimularet I. Sam. XXI, 13. 14, 15. alia ut ſileamus, peccata tamen fuiſſe qvis negaret? II. David ſe valde peccaſſe & ſtulte egiſſe dum dicit, mortaliter ſe peccaſſe fatetur. *Stengero* objicimus verba propria, qvæ habet in der Einſchärpffung lit. F. 4. fac. 1. ubi hanc Davidis numerationem vocat, eine ſchwere ſchröckliche verdamnißwürdige Sünde. Conf. B. *Muſæum* l. c. P. II. cap. II. pag. 178. Hoc poſterius ſi adhuc amplectitur, culpandus non eſt, & ſic nobiscum conſentit. Mentem vero ſuam in multis uberius

berius exponendam desideramus, qvod num in Apologia sua, qvam edidisse dicitur, præstiterit, nondum nobis constat, qvia illius hactenus participes facti non sumus.

CAPUT II.
DE
DAVIDE POENITENTE.
SECTIO I. EXEGETICA.
§. I.

ANte omnia hic causa pœnitentiæ hujus impulsiva exponenda venit. Hæc partim ira Divina, qvæ in percutiendo Israele se exseruerat, partim conscientia propria fuit. De illa egimus C. I. S. I. §. ult. De hac ita 2. Sam. XXIV, 10. ויך לבדוד אתא אחרי־כן ספר את־העם *Et percussit cor David postqvam numeravit populum. Cor* Metonymice pro *animo* vel *conscientia* accipitur, uti fit Jos. XIV, 7. Joh. XVII. 6. *Percussit*, pro *accusavit*, seu *arguit*. Utrum autem juxta *Sanctium* per *percusserat* exponendum, non recusamus. Certe hoc Scripturæ Sac. non infreqvens. Confer *Glass.* Gram. Sac. Lib. III. Tr. III. can. 46. p. 368. (642.) Hæc autem cordis percussio nihil aliud qvam Davidis animum & conscientiam peccati aculeis compunctam fuisse notat. Eadem eqvidem locutio occurrit, 1. Sam. XXIV, 6. ויך לב־דוד אתא verum David ibi cum conscientia luctabatur, num Sauli violentas manus injiceret qvod peccatum tunc adhuc in fieri erat. Nostro vero in loco, peccatum jam patratum animo cauterium inusserat. Hac ratione qvieto animo David esse non potuit, cum memoria peccati tantopere eum divexaret. *Bernhardus* meditat. c. XIII. *Qvid agit is qvi in propria domo habet accusatorem, testem, judicem, tortorem: ubi accusat conscientia, testis est memoria, timor tortor?* De conscientiæ morsibus vide B. Dn. D. *Joh. Schmidt* Conscienz, oder Gewissens-Predigten. ab Homil. XVII. usqve XXIV. incl. Davidem, anteqvam numerum subditorum suorum ei innotesceret, pœnitentiam egisse, *Josephus* Antiq. Jud. L. VII. c. X. memorat; verum Scriptura, eum ad pœnitentiam, ira Divina,

na, qvæ conscientiæ aculeos excitavit, perductum, in utroqve loco refert. Qvod addit: *Prophetis deinde referentibus ad Davidem qvod Deum offendisset, supplex orare cœpit, ut propitius redditus facti hujus daret veniam qvi exoratus Gadem Prophetam ad eum misit*, citra Scripturæ & historiæ fundamentum de suo adjecit. Qvare ipsi subscribere non licet.

§. II. Subjectum pœnitentiæ Davidem fuisse uterqve locus testatur. Vocat se *servum Dei*, dicens: *aufer iniqvitatem servi tui*, i.e. *aufer iniqvitatem meam. Loco pronominis* enim *primæ personæ qvandoqve ponitur ipsum nomen vel epitheton loqventis.* vide varia Scripturæ Sacræ loca a Beato *Geiero* T. I. Psalm. XXXI, 17. Servi Dei qvanqvam alias nuncupentur creaturæ universæ, nec non Prophetæ, seorsim Deo inservitentes in suscepta ad homines alios functione, inter qvos eminebat Moses, David, & Ministri alii seu Ecclesiastici; imo etiam Josua, Eliakim, Zorobabel ac Magistratus alii, tandem etiam fideles qvilibet. vid. probationem horum ab eodem T. II. Ps. CXIII 1. pag. 758. & 759. ita ut hoc titulo superbire qvodammodo videatur David, aut saltem fiduciam illinc singularem concipere, uti videre est Psalm. XVIII, 1. XXXVI 1. LXXVIII 70. LXXXIX, 14. & 21. CXLIV, 10. observante eodem. T. II. Psalm. CXXXII, 10. Hoc tamen loco in humilitatis signum Dei servum se appellare existimamus, qvasi diceret: licet constitutus sim Rex potentissimus, ad Te tamen collatus, sum miser servulus, cuncta mea a Te habens, a nutu tuo dependens, jam plane inutilis factus sum servus: Imo, ob peccata mea ne dignus qvidem, ut tuus servus appeller. Bene hanc in rem *Lavaterus* in 1. Paralip. XXII. *Qvod David servum Dei se dicat, non caret emphasi, facit enim ad amplificationem peccati, qvi, cum Deo servire debeat, eum graviter offendit. Facit etiam ad consolationem; Agnoscit enim se, tametsi contra suum officium fecerit, tamen adhuc in servorum loco haberi.* Joab vero & reliqvi, numerationis decretum qvi exsecuti fuerunt, num qvoque pœnitentiam egerint, nullibi refertur. Interim multos, si non omnes, ciliciis indutos veram una cum Davide egisse pœnitentiam, non dubitamus. Ad

Regis enim exemplum, ejusmodi in casu, ministri sese accommodare solent, qvod factum fuisse videmus Ninivæ. Jon. III.

§. III. Pœnitentiæ hujus (qvæ, cum in relapso hic contigerit, qvi per peccata regnantia jacturam acceptæ gratiæ fecerit, reversio proprie dicitur, vid B. Dn. D. *Strauch.* Def. CXLIII p. 425.) forma duabus suis partibus essentialibus constat, contritione nimirum & fide. *Contritio* consistit in his, dum David dicit: v. 10. 2. Sam. XXIV. & 1. Paral. XXII, 8. *Peccavi valde in eo qvod feci.* Item. *Stulte egi valde.* חמא significat aberrare vel a scopo Judic. XX, 16. vel a via Job. V, 24. hoc tamen loco deviationem a lege significat, & passim in S. Literis pro peccato qvolibet accipitur. סכל in piel stultum reddidit, significat, in Niphal stulte agere, ut 2. paral. XVI, 9. & hoc nostro in loco. Sufficisset, si David dixisset *peccavi* sed addit: *valde*, Eandem itaqve sententiam aliis verbis repetiit, ad fortiorem expressionem & rei illustrationem indicandam, more Scripturæ freqventissimo. Hæc vero, Davidem peccatum suum serio agnovisse & doluisse, ad oculum demonstrant. *Fides* his innuitur: *& nunc Domine, transeat iniqvitas servi tui.* עון iniqvitas (ab עוה curvus, perversus fuit) ponitur non tantum pro pravitate congenita, qvomodo alias hoc nomen peccato originali solet tribui Psal. LI, 7. &c. (vid. *Höpfn.* in Psalm. XXXII, 2. & 9. §. 10) sed & pro pravitate acqvisita, qvando contra conscientiam qvis peccat, uti loqvitur B. Dn. D. *Geier* P. 1. Psalm. XLIX, 6. pag. 968. Hoc igitur peccatum, de qvo doluit, jam transire a se David desiderat. Eo ipso autem se fiduciam suam in Dei misericordia collocasse innuit, qvæ sola hominum delere potest peccata. Hinc ait B. *Bidembach.* l. c. Pag. 1083. Daß (David) spricht: Nehme sie hinweg HErr &c. damit gibt er zuerkennen / daß sie sonst niemand möge wegnehmen / ohne allein GOTT. Daß erbittet / Er wolle sie hinweg nehmen / damit bezeuget er seinen starcken Glauben / daß er seine Sünde werde abthun. Et, qvia veram Davidem egisse pœnitentiam constat, omnino etiam in Christum aliqvando venturum credidit, sibiqve meritum ipsius applicavit, qvia, uti Canon Theologorum habet, Christus profuit antequam

fuit

fuit. Panca Davidis verba ſcriptor θεόπνευστος adduxit, qvæ ſummam pœnitentiæ ipſius indicant, qvod ſi vero plura adduxiſſet, evidentius Legem & Evangelium in hac pœnitentia conſpiceremus.

§. IV. Pœnitentiæ hujus effectum fuiſſe remiſſionem peccatorum, anteqvam trium malorum optio ei data eſſet, certiſſimum eſt. Imo hoc ipſum concedunt adverſarii, qvanqvam reatus pœnæ temporalis remanſiſſe ab illis dicatur, de qvo infra.

§. V. Pœnitentiæ hujus conſeqvens fuit *Caſtigatio divina*. Cujus notetur I. Cauſa principalis. Hæc Deus fuit. Ille enim juſſit hanc Davidi annunciari v. 12. *Citius eqvidem*, exponente *Lavatero* in 1. Paral. XXII. *Deus Gadum ad Davidem mittere potuiſſet, verum, etſi Deus ad tempus aliqvando differat, non tamen hoc ideo facit, qvod noſtri oblitus ſit, ſed ut ardentius precemur*. Ille etiam qvi peſtem immiſit v. 15. qvem pœnituiſſe ait v. 16. De hac pœnitentia obſervandum, qvod, cum dicatur Deum pœnitere, metaphorica hac loqvendi ratione nulla in ipſo Deo innuatur mutabilitas, ſed in externis ſolum Dei operibus, qvando vel ceſſat benefacere, vel maledicere. Utriusqve modi exempla e Scriptura S. vid. ap. B. Dn. D. *Geierum* T. II. Pſalm XC, 13. p. 256. *Glaſſium* Rhetor. S. tract. I. c. VII. pag. 119. (1130.) Ille etiam finem impoſuit huic caſtigationi v. 16. Cum igitur opus hoc Deitatis ad extra ſit, toti SS. Trinitati commune eſt, ut habet canon Theologicus.

§. VI. II. Subjectum fuit *David* cum *Subditis ſuis*. David memoratur *coarctatus* fuiſſe, dum dicit v. צר־לי מאד anguſtia mihi valde. צר anguſtia ab hoſte creata eſt, qva qvis ad incitas redactus; hinc צר hoſtis vocatur Eſa. LIX, 19. conf. Lexica Hebra. in voce צור. David elegit v. 14. qvia ei a Propheta data fuit optio. David e viſu Angeli conſternatus, qvia nunqvam angelus ipſi apparuerat, & qvidem ut h. l. iram & cædes minans. Variis ex cauſis conſpectus angelorum hominibus timorem incuſſit. Ob peccata procul dubio trepidarunt ad Cherubini conſpectum Protoplaſti e paradiſo ejecti. Gen. III, 24. Ob infreqventem & miraculoſum angeli aſpectum conſternati ſunt Parentes Simſon. Judic. XIII, 22. Sancto qvodam horrere angelos ſcala-

ascendentes vidit & descendentes Gen. XXVII, 17. Imo alias timoris causas, ex angelico conspectu provenientes non negamus. Davidem, partim ob inconsvetum, partim ob iram cædesqve minantem Angeli conspectum, partim ob sibi, ab eo, imminentem mortem consternatum censemus. Præterea hic non ut peccatis adhuc ligatus, sed ab omnibus jam solutus consideratur. Utut autem v. 17. ecce ego peccavi, & ego iniqve egi h. l. repetat, non novam & a priori diversam agit pœnitentiam; sed qvia pœnitentia vera semper durat, ideo his, se in pœnitentia perseverare, indicare voluit. Sic, si qvis hodie ab omnibus suis peccatis absolvitur, cras nihilominus pœnitentiam continuat, & de suis, qvæ unqvam commisit, peccatis, perpetuo pœnitet, qvia tota hominis vita nihil aliud, qvam qvotidiana pœnitentia esse debet. Subjectum hujus castigationis *David* non tantum se ipsum obtulit, qvod antea fecerat, ad exemplum Mosis, qvi ob salutem Israelitarum e libro vitæ deleri cupivit, Exod. XXXII, 32. & Pauli, qvi pro salute Romanorum suorum anathema esse voluit Rom. III, 3. sed jam *Domum* suam constituere vult, qva totam suam familiam, liberos nimirum & domesticos, metonymice intelligit. Conf. *Glass.* Rhetor. S. tra. l. I. c. III. p. 36. (1071.) Ita etiam *Paulus Tossanus* in notis suis, ad 2. Sam. XXIV. illa παροιμία: Meines Vaters Hauß/ das ist/ meine Blutsfreunde/ die mir hierzu gerathen/ oder auffs wenigste solches mir nicht mißrathen haben. Qvod vero hoc non absolute, sed conditionate David petierit, nimirum, si Deo ita visum, recte annotavit *Martyr* in 2. Sam. XXIV. qvia spiritualia tantum absolute, temporalia v. conditionate a Deo petenda sunt. Subditos autem subjectum hujus castigationis etiam fuisse experientia docuit, & qvidem a Dan usqve ad Bersabe. Mortuorum fuere 70000. virorum. וְאִישׁ sexum masculinum hic tantum indicare, non est probabile, qvia potius multos ex utroqve sexu peste periisse, negari facile non poterit. De voce וְאִישׁ vid. *Glass.* Rhetor. S. tr. I. c. 15. 447. (1369.) Uxores & liberos peste non consumptos B. *Bidembachio*, qvi hoc l. c. p. 1093. affirmat, subscribere non audemus, nulla svadente ratione. Subditos suos David vocat עַמּוֹ di-

dicens, ואלה הצאן מה עשו, *& isti oves qvid fecerunt?* צאן *proprie* minorum est animalium, ut ovium & capellarum, & qvia semper collective sumitur, ideo cum plurali construitur. vid. *Buxtorf.* in Lex. Hebr. & Chald. in voce צאן. Qvanqvam dici etiam possit, David eo indicasse, qvid hi ex grege fecerunt? Oves metaphorice & allegorice subditos David significari, qvis est qvi ignoret? vid. *Glass.* Rhet. S. tract. I. c. IX. p. 328. (1282.) Hanc, qvam format David, interrogationem, enunciationi negativæ æqvipollere patet ex eod. l. c. tr. II. c. V. pag. 553. (1448.) Qvæ de innocentia populi David pronũciavit, vide Sect. probl. qv. ult. Non nisi a Deo ad mortẽ damnatos occubuisse B. *Bidembach.* l. p. 1092. auctor est. dicens: Es hat aber dieser Engel ein gut Gedächtnüß/ und guten Verstand. Dann er hat nicht ohne allen Unterscheid den nächsten den besten geschlagen/ sondern allein die/ welche GOTT zum Tode verurtheilet gehabt/ die kennet er alle/ und weiß wo er sie finden solle: wie er auch alle Erstegeburth in Egypten kennet. Si non tantum ad temporalem, sed & æternam mortem damnatos peste occubuisse existimat, non facile concedimus, qvia probabile est, pios æqve ac impios fuisse necatos: ita tamen ut impii peccatorum suorum, sibi Deoqve notissimorum meritas dederint pœnas, piis vero hæc crux tantum a Deo imposita fuerit, qvæ saluti illorum nihil offecit, prorsus uti liberis tempore diluvii suffocatis. Angelus accessit jussu Divino Hierosolymam, qvo eam perderet. Hac non mœnia vel ædificia, sed homines metonymice intelligi constat; Verum statim a cæde Angelum Deus cohibuit. Causas dat *Sanctius* geminas, qvia *Deus diligebat eam inter omnes alias civitates, cum ibi ab Abrahamo illustre sacrificium oblatum fuerit, & hoc in loco templum jam condendum erat, qvia etiam fortassis semisiclus impensus jam fuit.* De semisiclo vid. cap. I. Sect. I exeget. §. VII. posterior ratio aliqvid dicit. Seqvimur Dn. D. *Schmid.* in Com. MS. cit. ad v. 16. 2. Sam. XXIV. qvi *ob preces evidenter & solenniter ibi peractas, Hierosolymæ parcitum decet, ubi nota erat legatio Gadis, nam vix innotescere alibi potuit tam brevi tempore. Conf. 1. Paral.*

XXI,16. Ex gratia enim Dei miserantis etiam factum est, ut angelus visibilem se sisteret manu extensa, sed dubitabunda.

§. VII. III. Causa ministerialis partim Gad. partim Angelus. fuit Gad vocatur in utroq; loco Ptopheta; In 2.Sam.XXIV.12. aut appellatur חוזה דוד *videns David. B. Lutherus* vertit, Davids Schauer. Nota, qvod videre seu visus, vel in genere significet sentire, seu experiri, &, in aliqvibus Scripturæ locis, frui; vel in specie ad mentem transferatur ac intellectum, & cognoscere seu intelligere notet; vel deniqve specialissime ad visionem spiritualem transferatur, qvæ vel Prophetiæ est, unde visio seu Prophetia, vel fidei in Christum & fiduciæ in Christum positæ. Conf. *Glass.* Rhetor. S. tr. I. c.XII. pag. 357. seq. (1302) ubi multis Scripturæ locis singula demonstrat. Significatio specialissima; qvæ Prophetarum est, hic locum obtinet. Res eadem per aliam appellationem, more Scripturæ, explicatur, ntmirum Prophetæ, per τὸ videntem, de qvo apud Philologos passim testimonia prostant. Variis autem modis Prophetæ de voluntate divina certiores facti, qvorum qvinqve recensetur ab *Hottingero* Thesaur. Phil. l. 2. c. III. Sect. IV. p. 573. ex *Augustino Steucho Eugubino*, scilicet per visionem, in somnio, in ænigmate, per figuras, ore ad os, seu per allocutionem Divinam, qvi ultimus modus B. *Dannhauero* peculiaris & singularis audit, Hodosoph. p. 13. De variis revelationum modis ex professo vide B. Joh. *Meisnerum*, integro tractatu de *Prophetis*, & alios passim. Qvonam autem modo Deus voluntatem Gadi patefecit, non exprimitur. Qvare sufficit, si modo de re ipsa certi simus. Utrum *Davidis Sacellanus* Gad fuerit, *Martyr* probet. Fuit vero Gad legitime a Deo vocatus, qvia immediate Deus eum ad hoc expediendum vocavit: fuit a Deo etiam instructus, hinc non de suo, more Pseudoprophetarum, sed de eo, qvod ex divino instinctu didicit, Davidem compellavit. Qværit hac occasione *Drexelius* in tract. de Davide §. 2. cap. cit. *Sed numqvid non etiam ipse David Propheta fuit, cum qvo Deus loqveretur?* Resp. *Fuit sane, sed hic modo res acta humano est, veluti si Pater filium, a qvo graviter offensus, in conspectum non admittat, sed per arbitros cum*

eo

eo agat, illiq; culpam commissam probe explicari jubeat. Ita Deus in aliis qvam plurimis agere consvevit, & nostris sese moribus accommodare. Hæc ad Davidem delegatio, ut & rerum Davidis gestarum post Nathanis obitum continuatio, Conf. I. Paralip. XXX, 29. famam Gado conciliarunt. Angelus, qvi hic forma, ut interpretum qvoqve est sententia, humana apparuit, qvod alias feciſſe eos ex Gen. XVIII. XIX. & aliis Scripturæ locis constat, bonus fuit juxta B. *Bidembach.* l. c *Hacſpan.* notis Philol. P. I. pag. 806. cum qvo B. *Geier* probavit bonos angelos mala hominibus sæpe immittere, unde addit, angelos bonos ea propter dici etiam *angelos malorum.* P. I. Pſ. LXXVIII, 49. p. 1634. male igitur dubitat *Lavaterus* in 1. Paral. XXII. hunc malum fuiſſe angelum. Qvod idem statuit *Flacius* in Clave Scriptur. P. I. pag. 179. Hunc autem gladio, mortem omnibus minante, terrorem incussiſſe, iis, qvi eum viderunt, utrobiqve affirmatur.

§. VIII. IV. Forma castigationis hujus vel verbalis fuit, vel realis. Verbalis erat cum Gad Davidem, multo mane surgentem (qvam noctem insomnem eum duxiſſe, *Sanctio*, &, suas e Psalmo VI. deplorasse miserias, *Lavatero* facile concedemus) alloqvi jussus; *Hæc dixit Dominus: tria ego tollo super te, elige tibi ex his qvod volueris ex his, ut faciam tibi.* Minus recte nonnulli vertunt: *unum ex tribus tolle super te.* Sic enim non amplius optio Davidi daretur. Sensus igitur est, uti προφρασις Dn. D. *Schmid: tria sunt qvæ ego ita definivi, ut necessario unum super te veniat: hactenus ego definivi certo: interim tibi permittitur electio.* Tria vero qvæ proponit, sunt: vel *septem annorum fames*, vel *trium mensium fuga ab hostibus suis* (in qva secunda optime dicit: *& ipse persequens te*, pro: & *qvemlibet ex ipsis persequte:* qvam distributionem *Tossanus*, ut & Dn. D. *Schmid*, observarunt) vel *trium dierum pestis in terra sua.* Hæc perpendere Davidem debere vult Gad, qvo aptam Deo, cujus nomine missus erat, responsionem reddere posſit. Intricata denuo sese offert difficultas, qvod 2. Sam. XXIV. septem annorum, at in 1. Paral. XXI, 12. trium tantum annorum fames memoretur. Varias ex instituto suo *Polus* in Synopſ. Crit. ad 2. Sam.

XXIV.

XXIV. solutiones congessit, qvorum singulas ordine examinare nimis longum foret, qvare præstantiores tantum recensebimus. & qvidem verbis potius Dn. D. *Schmid.* l.c. cujus decisioni merito subscribimus. (1.) *Qvidam (inter qvos Osiander) putant librariorum incuria locum esse corruptum* (qvam sententiam tenet Grotius a *Dn. D. Calovio* notis suis castigatus.) (2.) *Alii septem annos indictos, sed ita, ut tres posteriores essent nimis graves.* (3.) *Dav. Kimchi, Tremell. & alii apud Sanctium dicunt indicari continuationem famis Cap. XXI. descriptæ, qvæ in qvartum annum jam durasset, q. d. habuisti jam in qvartum annum famem, visne tres annos ut se extendant in septimum usqve? Non incommoda est sententia: cui tamen obstare aliqva videntur.* (4.) *Alii putant initio Davidi indictos esse VII. annos, sed mox remissos qvatuor. Huic sententiæ magis favet textus, ex qvo apparet, qvod David diu in electione hæserit, ut Gad responsum urgere coactus sit. Probabile itaqve est Gadum bis venisse ad Davidem: primo indicasse septem annos famis, ubi vero David spatium petierit: deinde rediisse Gadum & Davidi dubitanti remisisse de fame qvatuor annos, contraxisseq; ad proportionem trium cum reliqvis plagis: simul ut, Davidi etiam spem faceret ulterioris remissionis, si vel maxime plaga veniisset. Videtur huic sententiæ favere præ aliis Sanctius in h. l.* Realis castigatio erat, Pestis, qvam e tribus illis, sibi propositis, elegerat David. Causam hanc dat *Josephus* l.c. *Rex*, inqvit, *cogitans, qvod si famem peteret, sui magis qvam aliorum rationem habuisse videri posset, qvandoqvidem ipsi nihil periculi esset, multum frumentii in horreis habenti, illis non item. Qvod si per tres menses ab hoste vincì elegisset, sic qvoqve sibi consuluisse, qvi arces & fortissimam circa se cohortem haberet: optavit malum regnantibus æqve ac regnatis commune, in qvo omnibus par metus immineret, præfatus, melius esse incidere in manus Dei, qvam in manus hominum.* Similiter *Chrysostom.* Homil. XXIX. in Epist. ad Roman. ostendit, David bonum fuisse Pastorem, qvi juxta Johan. X, 12. animam suam dabat pro ovibus suis. *Propterea*, inqvit, *in optione supplicii illorum non famem elegit, non hostilem persecutionem, sed immissam a Deo mortem, per qvam sperabat alios qvidem*

dem

dem fore securos, severe dute reliqvos omnes e medio tollendum. Eadem plurimorum est sententia. An vero pestis mitior plaga sit qvam fames, aut hostium oppressio, qværit *Gisb. Voet.* in Tract. de Peste Cap. IX. & respondet affirmando, probatqve 1. ex nostro loco II. Samuel. XXIV. Et miratur Marchinum prolegom. §§§. & Tostatum in 2. Sam. XXIV. qvi volunt Davidem elegisse non minimum, sed maximum malum, qvod illud esset sibi cum subditis commune. 2. qvia furor, vastitas, distractio & perturbatio sensuum & affectuum non ita dominantur in peste, nec Dei cultusqve divini interni & externi ita nos obliviscimur, &c. Consentit etiam B. *Lutherus* T. I. Jen Germ. f. 436. Die geringste Plage/ inqvit, ist die Pestilentz. Pestilentz und theure Zeit/ machet fromm und rechte Leute: aber Krieg und böse Herrschafft/ machet zunichte alle s was zeitlich und ewig Gut betrifft. Circa appellationem *manus Dei*, qvam ἀνθρωποπαθῶς Dei tribui satis constat, observandum, qvod illa plagas notet tanqvam ab irato Patre vel hero inflictas, cujusmodi metaphora est Psalm. XXI, 9. Psalm. *XXXII*, 4. Job. XIII, 21. aliqvando autem meram Dei innuit misericordiam, ut cum David Ps. XXXI, 6. manibus Dei animam suam commendat. Hoc loco vero plagam abirato qvasi Patre inflictum malum notat. Inprimis vocat pestem *manum, seu opus Dei, qvia in peste Deus per se ipsum agit, non utitur opera hominum*, ut *Lavaterus* exponit. Qvanqvam, si hoc de omni peste affirmat, nimium forsan affirmet, qvod de hac tamen verum est. Qvod si qvis objicerer, Davidem per manum Dei h. l. æqve famem ac pestem intellexisse, ut sensus sit: eveniant mihi vel fames, vel pestis, non autem bellum, ne sic in manus hominum prolabi me necesse sit: hinc dicimus, eum pestem tantum innuisse, qvia partim aliqvid certi determinandum erat, partim qvia pestem h. l. immediate ad Deo proventuram auguratus est. Addo, qvod omnium malorum pestis καθ' ἐξοχὴν a Deo immitti dicatur, qva ex causa *Philibertus Marchinus* librum suum de Peste inscripsisse fertur: *Bellum divinum*, uti *Gisb. Voet*, l. c. & *Hornbeck.* dissert. Theologica de Peste, & alii affirmant. Eo citra dubium respexit Solymannus vel Suleimannus Turcarum Imperator,

tur, dicens *an nescirem pestilentiam sagittas esse Dei, quæ a proposito scopo non aberrarent? ubi ubi delitescerem, ut ab ejus teli jactu immunis esse m? sime percussum vellet, nihil fugam, nihil latebras profuturas.* vid. *Busbequii* Epistolam quartam Legationis Turcicæ pag. 297. Pestem hanc Davidi immissam *Cornel. a Lap.* vocat *gladium*, tum, *quia qui percutiebantur ea ab angelo, sentiebant quasi ictum gladii*, tum, *quia in Scriptura omne quod pungit, cruciat, affligit, per catachresin vocatur gladius.* Verum si his respicit ad gladium, qvem angelus manu sua vibravit, minus recte sensit, qvia hic tantum visibile symbolum iræ divinæ esse debuit, non vero eo percussisse angelum homines dici potest, Deus enim immediate pestem misit v. 15. 2. Samuel. XXIV. & vers. 14. 1. Paral. XXII. Postea vero 1. Paral. XXII, 15. Deus angelum misit Hierosolymam, ut perderet eam. Qva ratione pestis homines necaverit, refert *Abulensis*, citante *Cornel. a Lap.* ad vers. 16. nimirum, *pestem hanc inflixisse angelum, applicando eorum corpori & cordi aliqvid valde pestiferum, qvod subito corrumperet viscera, idqve sine sensu sicut non sentitur aer infectus cum attrahitur; velocius & insensibilius homines cadebant, tanqvam nullum habuissent langvorem.* Huic sententiæ, fictæ potius, qvam veræ, parum tribuendum est. *Josephus* l. c. ita de ea disserit: *Hæc ita, ut audivit Propheta, Deo renunciante, pestilentia in Hebræos ingruit, ita ut variis modis absumerentur, nec facile esset morbum cognoscere. Mors enim una erat, sed plurimis & incompertis caulis homines rapiebat. Alius enim post alium efferebatur, & clanculum obrepens malum celeriter exitium efferebat. Qvidam enim repente cum vehementi dolore, & amaro cruciatu animam exhalabant: alii paulo lentiori vexati malo, ne curationem qvidem ferre poterant, sed inter officia medicorum exspirabant: alii subito tenebris ob oculos obortis, ceu præfocati exanimabantur: nonnulli interdum aliqvem domesticorum funerant, sepultura nondum absoluta commoriebantur.* Qvo factum est, *ut a matutina hora usqve ad prandium hac peste 70000. hominum sint absumpta.* Qvæ expositio, utut a vero non aliena, poetica potius est qvam historica. Subjungimus hic merito verba *Voetii* ex Tract. de

Pe-

Peste citato. Cap. IV. qvibus bonitatem pestis in piis eleganter exprimit. Vocat eam (1.) *manum Dei, non prementem, sed sublevantem & vulnera sanantem.* (2.) *Virgam Dei, non furoris, sed correctoris; non exactoris, sed Patris.* (3.) *Angelum percussorem & nuntium mortis, sed angelum liberationis & prodromum salutis.* (4.) *Ventum & tempestatem, in qva Deus.* (5.) *Sagittas omnipotentis qvidem, sed leni ac dulci manu emissas.* (6.) *Venenum, sed veneni & corruptionis peccati. &c.* (7.) *Ignem, sed consumentem hostes, purgantem amicos, illuminantem domesticos.*

§. IX. V. Duratio. Initium pestis habuit simul ac Gad Davidis responsum Deo referret. In hoc consentiunt interpretes, verum de fine mirũ in modum inter se digladiantur, & qvidem occasione acceptionis עת cujus varias acceptiones vide apud B. Dn. D. *Geier* Ps. LXXIV, 4. T. I. p. 1508. Mavult Dn. D. *Schmidt* l. c. verti *usqve ad tempus conventus, scil. in domo Domini ad sacrificandum.* Sententias numero sat multas denuo congessit *Polus* in Syn. Crit. in 2. Sam. XXIV. Optime nos facturos confidimus, si hic etiam Dn. D. *Schmidt*, ut Ducem & Præceptorem nostrum, seqvamur. Ita ille: *Alii* (1.) *meridiem*, (2.) *alii triduum per Gad constitutum*, (3.) *alii tempus sacrificii in area Araunæ constituunt; sed* (4.) *melior est eorum sententia, qvibus tempus vespertinum, jugi sacrificio constitutum, intelligunt. vid. Sanct. h. l. Et argumenta in promtu sunt.* (α) *Est tempus ejusdem diei cum mane.* (β) *Est tempus ejus diei qvo Gad venit & rediit ad Davidem* v. 8. *est* (γ) *tempus pœnitentiæ Dei atqve abbreviatum.*

§. X. Restat ut conseqvens, nimirum oblatum *Davidis sacrificium* consideremus. Jussu Angeli hoc factum est, qvi Gadum, non nisi instinctu divino, ut Davidem ad sacrificium offerendum admoneret, utroqvè loco teste, admonuit. Locus v. sacrificii fuit *area Araunæ.* Hic & Arafna, & Aranja & Ornan, a *Josepho* autem Orionna, a *Prückner* Aarona vocatur, qvo eum vel diversis nominibus, vel uno nomine diversa dialecto appellatum colligimus. Dicitur autem Rex, vel qvia ex Jebusæorum Regum sanguine erat, ut vult *Gratius*, vel potius

Rex dicitur non in statu, sed in ampliatione, qvomodo Reges a Josua debellati & suspendio enecati Regis nomen adhuc retinuerunt Josu. X, 22. &c. Alii eum post expugnationem Hierosolymæ, proselytum domicilii fuctum censent, qvod facile concedimus. Hoc autem tempore hic mutata sorte, privatam agebat vitam, adeo ut agrum una cum filiis suis coleret, & ipse v. 20. & 21. triticum triturare. Qvod vitæ genus nullo modo dignitati, in qva tum degebat, ignominiosum fuit, inprimis cum ditissimi Judæorum agriculturæ operam dederint, ut multa in Scripturis exempla id testantur. Metropolis Jebusæorum ante Salem fuerat, qvæ deinde Jebus, deniqve Jesrusalem dicta, uti ex Hieronymo *Torniellus* Annal. Sacr. ad an. 1931. n. 37. *Sanctius* ad 2. Reg. V. p. 593. *Glassius* lib. IV. tr. III. Phil. S. observ. XV. p. 843. (991.) & alii notarunt. Inhabitabat ille montem Morijam (qvod multi partim ex eo, qvod *ascendisse* dicitur David, partim qvod ibi postea templum Domini exstructum est, colligunt) qvem sub id tempus vacuom fuisse ab habitatorum freqventia, existimat Sanctius, qvandoqvidem in eo Jebusæus ille cum bobus ac tribulis fruges triturabat, & non domus, sed area vocatur, i.e. pars agri potius deserti, qvam civitatis ab aliis habitatæ. Circa aream vero nota consuetudinem Palæstinorum, qvi fruges maturas non in locis seu horreis, nostro more circumseptis, excusserunt; sed habuerunt areas suas ad triturum sub dio præparatas, in qvibus verterunt demessam segetem, ut arescret, ubi more suo deinde eam triturarent conf. *Dieterici* Antiqvit. Bibl. V. T. pag. 280. seq. Cum vero non promiscue in omnibus ubiqve locis altare erigere licitum esset, conf. Exod. XX, 24. Deut. XII, 13. & 14. specialiter hunc locum Deus Davidi assignare voluit. Audiamus B. *Lutherum* causas ejus rei graviter & eleganter exponentem T. IX. Oper. Germ. f. 887. Zur Zeit Davids/ inqvit, hat Arafna der Jebusiter diese Stätt inne gehabt/ und hatte daselbst eine Scheune oder Tenne gebauet/ da er den Weitzen gemahlen hat/ welches alles also durch des Teuffels Getriebe geschehen ist/ aus Haß und Verachtung dieser Stätt/ gleich wie er die zuvor auch offtmahls verunreiniget hatte/ David aber hat dieselben Stätt

Stätt gekaufft nach dem grossen Sterben/ so unter dem Volck gewesen war/ und hat daselbst ein Tempel oder Altar gebauet/ und dem HERREN geopffert/ darumb daß er war erhöret worden/ wie im 2. Buch Samuelis stehet am 24. Cap. denn ich halt/ es sey die Stätt gewest/ da Jacob geschlaffen hat/ und GOTT hat dieselbige Stätt sonderlich lieb gehabt/ umb der Väter willen/ umb des Sems willen/ der daselbst geprediget und Wunderzeichen getahn hat/ und auch umb der andern willen vor- und nach dem Sem/ als/ Abraham/ Isaac/ Jacob/ und umb CHRISTUS selbst willen. Idem f. 1069. David/ inqvit, hat denselben Hügel von Arauna dem Jebusiter kaufft/ und hat daselbst einen Altar gebauet. Denn daselbst hat Abraham den Isaac geopffert/ und hat den Nahmen von der Ehrerbietung und vom Gottesdienst/ das auff demselben Berge Adam/ Heva/ Kain/ und Habel geopffert haben/ und hernach haben ihn die nachfolgenden Patriarchen für und für heilig gehalten/ und ist bey ihnen zur Ubung und Gebrauch des Gottesdienst verordnet gewest. Darnach aber haben ihn die Jebusiter eingenommen/ aber David hat ihn wieder erobert und angericht. Nec incongruas hujus rei causas dat *Lavaterus* in 1. Paralip. XXI. *Ideo*, inqvit, *David, non in locis, illis celebribus, sed in Arafne horreo, altari constructo, sacrificare jussus est, ut gentium vocatio adumbraretur: qvod Christus, qvi per altare significatur, futurus esset in Ecclesia gentium, qvodqve per ipsius sacrificium a Judæis & gentibus plaga averterentur. Ideo postea ipse & filii ejus dicuntur angelum vidisse, qvod de Israëlitis non dicitur.* Locum hunc, divinitus Davidi assignatum, Arafna sponte largiri volebat. Videns enim Davidem, servis suis stipatum, ad se accedere, egrediebatur adorans Regem, more civili apud Orientales recepto, perspectaqve Davidis mente offerebat omnia gratis, dicens: *accipiat & offerat Dominus Rex meus qvod bonum est in oculis suis. Vide bovem in holocaustum, & plaustra, & instrumenta bovis in ligna.* Int. Paral. XXII. additur: & tritica למנחה *in munus* seu *sacrificium*. Addidit Aravna votum: *Dominus Deus* יוצך *velit te*, vel, *placeat tibi*. De *plaustris*, qvorum hic fit mentio, notandum, qvod fue-

rint tabulæ ferro aſperatæ atqve dentatæ orbiculis conſtantes. Dicuntur alias tribula, ploſtra &c. *Lutherus* vertit Dreſchwagen. Qvorum uſum videre eſt e primo triturandi genere a B. *Dieterico* in cit. Antiqvit. Bibl. V. T. ad Deut. XXV, 4. pag. 208. ſeqq. recenſito, qvi fuit boum tritura cum tribulo, cum nimirum fruges terebantur opera boum, traham ſeu tribulam aut plauſtrum trahentium, qvi boves inſtrumentis, ad id ſingulariter confectis, alligabantur, qve ſuper ſpicis inducta, grana relinqvebant excuſſa. De ſecundo modo, qvi erat boum tritura ſine tribulo, & ſolis bovillis pedibus & ungulis abſolvebatur: & de tertio, qvi noſtris regionibus freqventior, qvando fuſtibus verſatilibus, ſeu perticis ab una parte ligno verſatili amentatis, grana excutimus, vid. alleg. *Dieter.* l.c. De מנחה jamjam dicetur τὸ ῥοῦχ recte expoſuit *Lavaterus* l.c. utinam gratum ſit tuum ſacrificium Deo. Eadem habet *Toſſanus* ad 2. Sam. XXIV, 23. Zeige/ daß er dich ſampt deinem Gebet und Opffer gnädiglich in dem Meſſia anſehe und annehme. Laudanda merito oblata Aravnæ liberalitas eſt, interim recte feciſſe Davidem negare non poſſumus, qvod non de ſua ſubſtantia honorare Deum voluerit, juxta Proverb. III, 9. adde Syrac. XXXV, 19. Pretium, qvod Arafnæ David obtulit, diu Arafna detrectavit, qvanqvam deinde aſſumere coactus ſit. Cum vero illud 2. Sam. XXIV. qvinqvaginta ſicli argentei, & in 1. Paral. XXII. capite. ſexcenti aurei ſicli fuiſſe dicantur, variæ variorum occurrunt expoſitiones. Laborioſus denuo & in his fuit *Polus* l.c. Seqvimur autem hoc loco ſententiam *Joſephi, Martyris, Toſſani, Waltheri* in Harm. Bibl. ad 2. Sam. XXIV. *Glaſſii* Lib. I. Phil. S. tr. I. ſect. II. object. XXVII. p. m. 70. *Calovii* ad 2. Sam. XXIV. & in tract. de nummis Ebræis & Græcis, qvi Biblia Anti-Grot. præmiſſus cap. V. Dn. D. *Schmidt* in Com. MS. cit. *Dietericum* in antiqv. Bibl. V. T. p. 729. *Pfeifferum* Dub. vexat. Cent. III. Loc. XV. pag. 530. Qqorum mens hæc eſt, *diſtinguendum eſſe inter aream, ubi primum ſacrificavit David, & inter locum ſeu montem totum. Primo emit David aream qvinqvaginta ſiclis argenteis cum ſacrificio & inſtrumentis: deinde emit totum montem ſexcentis ſiclis aurei ponderis (incluſis, ut videtur, prioribus qvinqva-*

qvaginta.) *postqvam vidit Deum placatum, & constituit templum ibi ædificandum. Chronica posterioris contractus mentionem faciunt, qvia omnia propter templi ædificationem referunt.* Verba sunt Dn. D. *Schmidt.* De pretio utriusqve sicli varie Philologi certant. De ro. siclis argenteis ita *Tossanus*: Das macht etwas mehr als 12. Reichsthaler: denn allhie ein silbern Seckel so viel/ als ein Orth eines Reichsthalers. Convenit cum eo *Dieter.* in Antiqv. suis B bl. V. T. p. 729. Siclus communis ponderavit qvadrantem thaleri Imperialis. De 600. siclis aurei ponderis, juxta *Tossani* computationem, statui potest, qvod ad pondus commune 300. ad sanctum vero 3000. imperiales fuerint. Ita enim ille ad Gen. XXIV, 22. Güldene nnd silberne Seckel waren beyderseits eines Gewichts/ die gemeinen wogen ein halb Loth/ der heilige noch so viel/ oder ein gantz Loth. Ein Loth Goldes nu thut 10. mahl so viel als ein Loth Silbers. Ein Loth Silbers thut einen halben Reichsthaler/ ein Loth Gold 5. Reichsthaler. De siclo sacro argenteo idem valor est juxta *Dieter.* l. c. De distinctione sicli sacri & communis digladiantur inter se Philologi, aliis concedentibus, aliis negantibus. Dn. D. *Calovius* l. c. unum tantum fuisse siclum affirmat, adductis multis in suam sententiam auctoribus. Distinctionem Rabbinis inventoribus assignat. Et qvanqvam *siclus sanctuarii* aliqvoties in S. Literis memoretur, intelligendum tamen ait cum *Bonfrerio* in Exod. XXX. 24. *non qvod diversa sint pondera, alia sanctuarii, alia publica, sed qvod pondera omnia ad primi illius, qvod in Sanctuario asservabatur, normam reducerentur,* &c. Valorem autem sicli esse dimidii Joachimici Dn. D. *Calovius* ipse observavit e siclo qvodam, qvi ipsi obtigit, & qvem adhuc, ceu κειμήλιον, asservat. Hac ratione siclorum 50. constituent 25. siclorum 600. constituent 300. Imperiales seu Joachim. conf. ex professo eum l. c. c. IV. p. 175 sq. *Dieter* qvoqve l. c. p. 728. Refert hic qvidem ex *Wielbrordo Snellio*, qvod ille ex prioribus 50. siculis 20. Coronatos Gallicos. & e sexcentis posterioribus trecentas auriuncias numeraverit. Sed hac ratione obscurum propemodum per æqve obscurum exponitur, qvia non indicavit qvanti coronatos Gallicos, vel unicas auri æstimarit.

Dici-

Dicimus nos cum Dn. D. *Calovio* ex l.c. *Qvicqvid tandem sit de eorum sententia, qvum ea Scriptura S. non nitatur, nullam inde indubitatam certitudinem colligere licebit de valore & pretio siclorum in. S. Literis receepto.* In area hac angelus percussor sese Arafnæ & filiis ipsius, inde valde perterrefactis, conspiciendum præbuit 1. Paral. XXI. v. 20. an vero, *cum a cede cessare jussus erat excesserit ex urbe, cum gladio districto, & stillante sanguine, & steterit juxta aream, facie fortassis horribili ac minaci, innoxius tamen, qvia ut sibi Deus jam temperarat ab ira, sic etiam ille temperarit a cede, Sanctio*, ut auctori, relinqvimus. Ad sacrificium autem offerendum erigebat David altare, qvod ea, qva fieri potuit, celeritate exstructum fuisse, urgens necessitas suasit. Hinc de materia ipsius, item de longitudine, latitudine, profunditate & reliqvis circumstantiis altum est silentium. Geminum in eo sacrificium a Davide fuisse Deo oblatum, uterqve locus testatur. Alterum fuit holocaustum, alterum pacificum. In illo *sacrificiale pecus, post excoriationem, totum igne consumebatur pro expiatione omnium; in hoc qvædam pars comburebatur Deo, qvædam cedebat in usum sacerdotum, &c, Deo dabatur & comburebatur in hoc adeps, cauda &c. non cor, cerebrum, qvæ tamen sunt principalia membra & organa singularia animæ. Duplex vero fuit sacrificium pacificum, alterum, qvod votum dicebatur, ubi partes qvæ cedebant in usum convivii, duebus diebus absumi, neqve in tertium diem reservari debebant &c. alterum dicebatur pacifium laudis, seu gratiarum, in qvo Deo laudes & gratiæ dicebantur.* Ultimi hujns generis sacrificium oblatum hic fuisse patet. vid, de his B. *Franzium* in Schola sactif. disp. XIII. p. 393. & 394. Præbere paratus erat Arafna triticum ad מנחה, qvod sacrificium *ciborum* erat, & sex reqvisita habebat. 1. *Ne fieret ex ullo admixto fermento.* 2. *Ne fieres ex ullo admixto melle.* 3. *Ne fieret absqve sale* 4. *Ut affunderetur ipsi oleum.* 5. *ut. aliqvid superad deretur thuris,* & 6. *ut fieret e materia purissima, scil. triticea farina, & qvidem in triplici differentia, nimirum vel incocta, vel cocta, sive in sartigine, sive in craticula, vel denique frugibus nondum commolitis. Qvæ omnia exstant Levit. II.* Pro qvibus & qvomodo hoc Mincha fuerit oblatum.

vid,

vid. idem l. c. disp. XIII. §. 76. & 77. p. 378. & 379 Qvia vero hoc cum holocaustis & pacificis semper juxta *Franz.* l. c. oblatum fuerit, igitur idem & hic contigisse affirmamus. Ad oblationem horum sacrificiorum Deus igne, cœlitus super altare holocausti demisso, respondit, qvo ipso signum propitiationis indicatur. De modo divinitus respondendi per ignem ex professo adeundus erit cit. *Franz.* Disp. V. p. 1. pag. 93. seqq. Cum Davidi utrobiqve tribuatur sacrificii oblatio, inde *Lavaterus* Davidem sacrificasse affirmat. *David*, inqvit, *licet ex tribu Juda oriundus esset, tamen sacerdotis munere fungitur. Est enim typus Christi summi Pontificis omnium fidelium.* Easdem inflare patet tibias *Hobbesium*, cujus hæc est assertio, *Reges etiam in V. T. non solum regendi Ecclesiam, sed etiam functiones omnes Ecclesiasticas exercendi potestatem plenam habuisse, in Leviathane* Cap. XLII. p. 259. Item docet *Vedelius* in libro suo, cui titulus: Episcopatus Constantini Magni: ut *Jab. Wtenbogardus* (Utenbogardus) in libro de *Auctoritate supremi Christiani Magistratus in rebus Ecclesiasticis*, edito Anno 1610. contra *VValæum. Hugo Grotius* in Pietate Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ contra *Sibrandum Lubbertum* Theologum Franeqveranum Anno 1613. edita. *Pareus* in libro suo, seu Commentario in Epistolam ad Romanos, jussu Regis combusto. Et Arminiani communiter. Alios ut sileamus. Respondemus v. 1. David non immediate, sed mediate sacrificavit. Qvod qvis enim per aliũ facit, per se fecisse putandus est, ut tritum habet. 2. David qvidem Propheta etiam fuit, non vero simul Sacerdos. 3. Extraordinarie cum Prophetæ ipsi sacrificarunt, illud vel e defectu sacerdotum, vel e singulari Divino instinctu fecerunt. Conf. 1. Sam. VII, 9. 1. Reg. XVIII, 31. seqq. Consuli possunt *Triglandius* in Dissertatione Theologica de *Civili & Ecclesiastica potestate*, item *Cabeljavius* in *Apologetica rescriptione pro Libertate Ecclesiæ in exercenda disciplina spirituali*, inprimis Cap. VII. p. 88. Contra *Hobbesium*, vid. *Templer* in *Idea Theologiæ Leviathanis* p. 284. Oblati sacrificii effectus voto Davidis respondit. Angelus enim, qvi, exponente *Sanctio*, *licet manum continuisset ab inferendo vulnere, tamen adhuc extentum*

habebat brachium, & gladium a vagina nudum, qvasi statim ad interfectionem iisdem rediturus jam vero vagina gladium recandi jussus est v. 27. Plaga restricta, & exoratus, seu propitiatus est Deus terræ מגפה plaga, seu strages, in Scriptura Sac. vel stragem bellicam, vel incendii, vel occultos morbos, vel pestem significat. vid. B. *Geier.* Psalm. CVI, 29. T. II. p. 608. Restricta dicitur, qvia in angustias denuo redacta, ita ut terminos priores prætergredi ulterius haut potuerit. vid. idem l. c. ad vers. 30, pag. 609. Propitiatio hæc non intuitu nudi actus sacrificialis, sed potius intuitu Messiæ, aliqvando pro peccatis mundi mactandi, cujus meritum jam qvoqve vera fide sibi applicabant fideles Veteris Testamenti, valida fuit. Absolvebantur hac ratione omnes & singuli vere pœnitentes. Nec David excludendus est, qvanqvam hæc Davidis absolutio solennis erat, & exterior, qvam interior præcesserat, qvæ eum cum Deo irato perfecte reconciliarat.

SECT. II. PROBLEMATICA.

QUÆSTIO I.

An relapsi serio pœnitentes, Deo reconcilsientur?

§. I.

Distinguimus inter relapsum regenitum, cui proprie relapsus tribuitur; & irregenitum qvi inproprie, seu abusive relapsus dicitur. Non de hoc, sed de illo qvæstio est.

§. II. Relapsus nobis est qvi actum malitiosum contra conscientiam commisit, qvo, fide & Spiritu Sancto excusso, in veterem dominii peccati & Diaboli statum recidit, & gratia Divina denuo privatur. Conf. Cap. I. Sect. II. §. IV.

§. III. Distingui solet inter eum qvi semel, & qvi bis, vel ter peccavit. Nos tam de priori, qvam posteriori qværimus.

§. IV. Distinguitur etiam inter eum qvi in idem, & qvi in aliud peccatum mortale incidit. Prioris generis relapsos dari negat *Heidegger.* Tom. II. Dissert. Theol. select. Dissert. XII. De lapsibus sanctorum §. 30, p. 477. *Equidem*, inqvit, *fatendum, nullius sancti ad secundam*

eundam pœnitentiam admissi exemplum in Scripturis inveniri. Aaron & Mirjam semel peccarunt; Loth, David, Petrus semel in idem peccatum inciderunt: neqve acta semel pœnitentia relapsi leguntur. Adde his similia, qvæ pag. seq. de eadem qvæstione ventilasse *Ambrosium Blaurerum & Joh. Calvinum* refert, ubi citat Epistolas & responsa Calvini p. 304 & 305. De posteriori qvæstio hic est.

§. V. Distinguunt *Sociniani* inter relapsos, qvos novitias; & inter relapsos, qvos regeneratione confirmatos appellant. Illos dicunt esse qvi vel per temporis, vel ætatis defectū vel aliis de causis nondum peccati jugum excussérunt; Hos qvi regeneratione confirmati habitum peccati exuerunt. Hæc autem distinctio nulla est, qvia in hac mortalitate nemo habitum peccati omnem exuere potest, ob peccatum originale, qvod non nisi morte extinguitur.

§. VI. Distinguimus inter pœnitentiam seriam, & hypocriticam. Non de hac, sed de illa qvæstio est.

§. VII. Distinguimus inter pœnitentiam partialiter & totaliter acceptam. Illo modo aliqvando fides sola, aliqvando contrito sola pœnitentiæ nomine venit: hoc modo utrumqve simul coinjungendum est.

§. IIX. Distinguimus inter pœnitentiam lapsorum & stantium sic dictam. Illa est *qvando regeniti, qvi per peccata regnantia jacturam acceptæ gratiæ fecerunt, & deinde pœnitentia ad Deum se convertunt, qvorum proprie est Reversio*: Hæc est *qvando regeniti luctantes, & in qvotidiano agone & jugi pœnitentiæ exercitio ita conflituntur, ut sicut candela fumans adhuc exiguo flatu accenditur rursus, ita & ipsi per continua pœnitentiæ exercitia, imbecillitati suæ consulunt, ne plane deficiant*, uti definit eas B. Dn. D. *Strauch* Def. CXLIII. pag. 425. & 426. Illam *Stenger* vocat pœnitentiam magnam (die grosse Busse)/ hanc pœnitentiam parvam (die kleine Busse) De priori potissimum qværitur

§ IX. Distinguimus inter modum reconciliationis homini cum Deo ordinarium, & extraordinarium. Ille est, qvi fit mediis

divinitus reconciliationi destinatis: hic est, qvi sine illis & peculiari ratione fit. Hoc sensu distinctione proposita ita qvæstio formatur: an regeniti, per ordinaria divinitus instituta media, Deo reconcilientur; an vero per extraordinaria non instituta? Prius affirmamus. Eandem distinctionem ita explicare etiam possumus, qvod ordinarium sit illud, qvod semper legitimis subsidiis fit; extraordinarium vero, qvod aliqvando tantum fit, iisdem tamen manentibus subsidiis. Hoc sensu utrumqve concedi potest.

Sententia nostra est affirmativa.

Argum. Si David denuo mortaliter peccans, in peccato hoc diu hærens, deinde seria pœnitentia acta Deo reconciliatus fuit, seqvitur relapsos serio pœnitentes, Deo reconciliari.

Atqvi verum est prius, Ergo & posterius.

Connexio probatur, qvia qvod valet in uno, valet etiam in altero.

Subsumptio est integra historia jam posita. Adde Luc. XVII, 3. 4. 1. Ioh. II, 1. & 2.

Antithesis.

Est I. *Novatianorum*, qvi lapsis veniam non esse dandam docebant. Hi tantam præ se ferebant vitæ sanctimaniam, ut Constantinus Imperator Acesio, Novationo, diceret: Θὲς Ἀχέσιε, λίμακα, καὶ μόνος ἀνάβηθι εἰς τὸν οὐρανόν. Admove, Acesi, scalam, & solus in cœlum ascende. De horum Novatianorum origine, nominibus, causis, auctoribus, fontibus, erroribus, tam in genere, qvam in specie, de eorum qvoqve Assectis, adversariis & cognatis, vide ex professo Excellentissimi Dn. D. *Bebelii*, Hospitis, Præceptoris, Patroni, ac hujus Disputationis Præsidis, Antiqvitates Ecclesiæ Seculi III. post Christum pag. 916. seqq.

II. *Soci-*

II. *Socinianorum.* Ita enim *Smalcius* in retut. thes. *Franzii* p. »296. ad dictum 1. Joh. II, 2. Tantum, inqvit, ostendit fieri posse, »ut inter eos, qvi Christiani sunt, scilicet professione, sint non»nulli, qvi nondum habitum peccandi deposuerint, nempe no»vitii vel infirmi; eos vero, si resipiscant, peccatorum remissio»nem consecuturos. An vero postqvam resipuerint semel, ite»rum tuto & impune peccare, nova peccata committere, vel in »peccato hærere possint, id nec hic, nec alibi uspiam indicatur: »imo contrarium ejus habetur disertissime in Epistola ad Hebræ»os, & alibi, nempe, impossibile esse, eos, qvi semel collustrati »fuerunt & prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam. Bre»viter; Qvicunqve adhuc per imbecillitatem in peccato hæret »vel peccatis, potest resipiscere: sed qvi resipuit, is non potest »peccare, h. e. in peccato ullo hærere, vel peccata nova subinde »committere. Idem p. eadem. *Iis*, inqvit, (Christianis,) *qvi post excussum semel jugum peccati, habitum peccati contrahunt, nulla consolatio in Sacris literis usqvam proposita est, nec jussi sunt fideles ejusmodi corrigere, cum impossibile (nempe qvoad homines, & revelatam divinam voluntatem) sit tales rursus revocari ad poenitentiam.* Ipem pag. 359. *Coeterum*, inqvit, *hoc potissimum accusat Franzius, qvod nostri in variis scriptis dicant, ea tantum peccata remitti (nempe ordinarie & vi foederis, sic enim & sentimus & loqvimur) qvæ ex fragilitate & ignorantia proficiscuntur, qvæ vero petulanter, & data opera vel ex deliberata malitia committuntur, nullam habere remissionem.* Idem pag. 290. *Remitti*, inqvit, *etiam possunt peccatorum habitus, qvos isti contraxerunt denuo, sed difficulter, & non nisi superveniente nova gratia extra novum foedus, ut ex Hebr. VI, 4. ad oculum videre est.*

III. *Johannis Melchioris Stengeri*, cujus Cap. I. Sect. II. qv. altera Antith. II. mentio facta, qvi secunda vel tertia vice, relapsos extraordinarie Deo reconciliari dicit, qvam reconciliationem magnam pœnitentiam (die große Busse/) appellavit. Ex Epistola

Jacobi Schellen/ *supra cit.* docuisse dicitur Stenger VIII. Es wäre zweyerley Art seelig zu werden/ ordentliche und unordentliche. Et ipse in der Einschärff. pag. 401. Man saget/ inqvit, von den Spatreuenden/ daß sie auch noch zu Gnaden kommen/ aber das ist ein auserordentliches/ in die gemeine Regul nicht zu ziehen; und nach deme die heutige Welt beschaffen/ wolt ich sagen/ daß unter hundert tausend Spatreuenden kaum einer recht Busse würcket. Ex eodem scripto eum hæc docuisse de pœnitentia, ut vocat, parva & magna testantur Domini Jenenses in prima sua Censura: Erfordert (inqviunt de Stengero) die grosse Busse zur Bereuung der muthwilligen Sünden/ die kleine Busse aber zu Bereuung der Menschlichen Fehler und Erb-Sünde/ und lehret darneben/ daß die wahren Kinder Gottes offt Menschliche Fehler begehen/ und deßwegen die kleine Busse offt wiederholet werde/ muthwillige Sünden aber begehen sie nicht/ als etwa einmahl/ oder so es zum andern oder dritten mahl geschehe/ so sey es etwas ungewöhnliches/ und dahero werde die grosse Busse nur einmahl wiederholet/ oder wenn es zum andern oder dritten mahl geschehe/ so sey es etwas besonders/ und den Kindern Gottes ungewöhnliches.

Object. Refutatio.

In genere notandum plerasqve ob jectiones peccare in eo, qvod peccatum mortale qvodcunqve, cum peccato in Spiritum S. confundant.

In specie de Novatianorum Object. vid. cit. Dn. D. Præsidis Antiq. Eccl. Secul. III. inprimis pag. 920. & 921.

Sociniani id qvod extraordinarium dicunt, per inusitatum & difficile aliqvando explicarunt, qvo sensu culpaudi vix veniunt, si perpetua & constans illorum hæc mens est. *Stenger* eodem modo τὸ extraordinarium exposuit, per τὸ inusitatum. Qvod si semper ita statuisset, ad tantas controversias certe ventum non fuisset. Hinc B. *Museus* in tract. Von der Busse Parte. III. Cap. III. Hätte aber/

aber/ inqvit, Stenger dieſen Verſtand (nimirum το extraordinarium ſenſu alias Socinianorum craſſiſſimo) nicht intendiret/ ſo hätte er auch der Red-Art/ die ihn mit ſich führet/ ſich enthalten ſollen/ bevorab weil ihm vorher/ als noch res integra war/ und da er ohne Abbruch ſeiner Exiſtimation davon hatte abſtehen können/ der incongruus ſenſus nach der länge war fürſtellig gemacht worden. Conf. inprimis citati tractatus Cap. 3 Par. III. pag. 406. ſeqq. Von Stengers auſſerordentlichen Wege zur Seeligkeit. Item Cap. VIII. pag. 651. ſeq. Von Wiederholung der groſſen Buſſe/ ut & paſſim in hoc tractatu alibi, cui cenſuræ Theologicæ Facultatis Jenenſis, ut & Cenſuræ Rev. Miniſterii Francofurtani ad Mœnum inſertæ ſunt. Scripta *Hartnacii* contra eundem, ut: *Stengerismus condemnatus* nec non Gründliche Wiederlegung der Irrthümer Joh. Melch. Stengers. Item, *Confluxus Sectarum fere omnium in ſectam Stengeorum*, qvi eſt in Syntagmate Hiſt. Eccl. contin. pag. 1074. conſuli poſſunt. Repete qvæ diximus ad Qv. ſecundam Cap. I. ultimo loco.

QUÆSTIO II

An ex hac hiſtoria probari poſſit remiſſa culpa non ſimul ſemper remitti pœnam temporalem, ita ut ſatisfactio ſit neceſſaria?

§. I.

Diſtingui ſolet inter acceptionem & definitionem culpæ ſeu peccati in ſenſu Lutherano; & in ſenſu Pontificio. Hoc loco autem utraqve diſſentientium pars de peccato, ſeu culpa loqvitur, qvæ & temporales & æternas pœnas meruit.

§. II. Diſtinguitur inter remiſſionem culpæ immediatam, qvæ a ſolo Deo fit; & inter mediatam, qvæ a miniſtro Eccleſiæ legitimo peragitur. Neutra hoc in loco negatur.

§. III. Diſtinguunt Pontificii inter remiſſionem peccati qvæ fit in Baptiſmo, & inter eam qvæ fit poſt Baptiſmum. In illa & culpa & pœna temporalis æque ac æterna remittitur; in hæc autem tantum

tantum remitti culpam & pœnam æternam. Sic enim loqvitur *Concilium Tridentinum Seſſ. XIV. Cap. VIII. Sanæ & Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qvi ante Baptismum per ignorantiam deliqverint, aliter vero, qvi ſemel a peccati; & demonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono ſcientes templum Dei violare, & Spiritum S. contriſtare non formidaverint. Et Divinam clementiam decet, ne ita nobis abſqve ulla ſatisfactione peccata dimittantur &c.*

§. IV. Diſtinguimus inter impoſitionem pœnæ temporalis a Deo, & inter impoſitionem ejusdem pœnæ ab Eccleſia factam. Qvanqvam hæc illi ſubordinetur; tamen hac qvæſtione de priori qværitur.

§. V. Diſtinguimus inter ſatisfactionem qvæ fit Deo, & qvæ fit Eccleſiæ. Illa fit unice applicatione meriti Chriſti per ſolam vivam & veram fidem; hæc præſtatur hominibus, qvibus ſcandalum datum eſt. Hæc qvoqve dicitur pœna canonica. Hujus qvinqve actus illuſtriores, qvales ſunt: περίκλαυσις, ἀχρεῖασις, ὑπόπτωσις, σύγασις & μέθεξις, vide apud Dn. D. Præſidem in ſeculo III. artic. IV. de uſu Clavium pag. 840. Priorem ſatisfactionem eſſe abſolute, poſteriorem vero ordinate neceſſariam, concedimus. Qvando autem qværitur, an ſatisfactio illa, qvam nos Eccleſiaſticam vocavimus, nihil aliud ſit, qvam qvæ *infinitam Chriſti ſatisfactionem nobis applicet, reddatqve propriam;* tunc ſatisfactio utraqve partim videtur confundi, partim media, Chriſti ſatisfactionem applicantia, a Concil. Trident. l. c. & aliis enumerata, haut congrua, præter fidem vivam & uſum ſacramentorum legitimorum ſubſtituuntur.

§. VI, Diſtinctio inter pœnas æternas & temporales, ſatis conſtat. Temporales autem pœnæ, ſecundum Partis adverſæ patronos, vel in hac, vel in altera vita luendæ ſunt. Depurgatorii exiſtentia in præſentiarum ſolliciti nos ſumus, ſed tantum, an poſt condonatas pœnas æternas, tempuralis pœna in hac vita luenda veniat.

§. VII

§. VII. Distinguimus inter pœnæ materiale & formale. Illud dicitur ad delictum emendandum, hoc est pœna ipsa, & est ad delictum vindicandum. Seu, distinguimus inter pœnam in sensu specificativo, seu qvæ talis est; & inter pœnam in sensu reduplicativo, seu qvatenus talem. Seu, distinguimus inter pœnam castigationis, qvæ & medicinalis audit; & inter pœnam ultionis. Seu, distinguimus inter τιμωρίαν qvæ pœnam proprie dictam a Judice irato inflictam; & inter παιδείαν ac δοκιμασίαν, disciplinam a Patre benevolo oriundam notat. Nos Davidi immissam pestem non pœnæ formale, seu pœnam qvatenus talem & in sensu reduplicativo, seu pœnam ultionis, seu τιμωρίαν; sed pœnæ materiale in sensu specificativo, seu pœnam castigationis & medicinalem, seu παιδείαν ac δοκιμασίαν fuisse concedimus.

Sententia nostra est Negativa.

Probationes nostræ, e responsionibus nostris ad Partis adversæ argumenta jam suppeditandis, satis, ut confidimus, patebunt.

Antithesis.

Est I. Directe *Bellarmini*, qvi Tom. III. lib. IV. c. XI. pag. 1374. ait. *Culpa* (Davidi) *remissa pœnam indixit* (Deus) *septem annorum. Adrianus* & *Petrus de Walenburch.* tract. speciali de Controversiis fidei Tom. II. Lib. XIII. tract. V. de Purgat. c. II. §. X. p. 273. *David cum numerasset ex superbia populum, post translatam iniqvitatem proponitur illi triplex, ut unam eligat &c.* Et postqvam distinctionem Crocii, adversus Beccanum, inter castigationis & ultionis pœnam distinguentis, adduxerunt, statim addunt: *non est ratio cur pœna hoc modo sumatur, & non illo.* Eadem habet *Philippus Cæsar Coturius* in epitome controversiarum de Purgatorio c. II. §. 1 p. 436. adducens hunc nostrum locum ex 2. Sam. XXIV. *Chichtoveus* lib. II. Anti-Luther. cap. XV. *Davidem* ait *erexisse altare post dimissam*

culpam, qvod non opus fuisset, nisi id in satisfactionem pœna feciſſet.

II. Indirecte *Concilii Tridentini* Seſſ. XIV. can. XII. *Si qvis dixerint, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemqve pœnitentium non esse aliam, qvam fidem, qva apprehendunt Christum pro eis satisfeciſſe, anathema sit.* Dn. *de Walenburch.* T. II. l. c. §. III. *Docent*, ajunt, *Catholici cum S. Scriptura, qvod remiſſa culpa & pœna æterna, maneat reatus pœnæ temporalis, sive dignitas & obligatio ad pœnam temporalem.* Addi poſſunt omnes illi, qvotqvot Concilio Tridentino juramento ſeſe obligarunt, in doctrinalibus ſeqvi.

III. *Grotius* Lib. II. de J. B. & P. cap. XX. §. II. *Deus ipſe*, inqvit, *non semper pœnitentia ductis omnem remittit pœnam, qvod vel Davidis exemplo apparet.*

IV. *Labaterus* in 1. Paralip. XXI. *Etsi*, inqvit *Deus non semper temporalem auferat pœnam: tamen æternam semper aufert.*

Object. Refutatio.

Reſpondemus I. ad primam & ſecundam Antitheſin. Ubi reconciliatio, ibi non eſt pœna, ſed paterna caſtigatio. Qvæ cauſa eſt cur poena in reconciliatis materialiter ſumatur, non vero formaliter. II. Qvi perfectam egit poenitentiam, perfecte a peccatis ſuis abſolutus eſt, & poſito hoc, ſeqvitur nullam ſatisfactionem pro pœna adhuc remanere. III. Reconciliatio hæc Davidis cum Deo aut fuit totalis, aut partialis. Si totalis, tum nulla pœna, nulla ſatisfactio amplius reqvifita fuit: ſi partialis, tum circa unum idemqve peccatum Deus ſimul iratus adhuc judex, & ſimul placatus pater: David ex parte coram eodm divino tribunali abſolutus, ex parte adhuc condemnatus: ex parte filius Dei, & ex parte ſubjectus adhuc diabolo manſit, qvod plane abſurdum. IV. Reſp. cum B. Præceptore meo Dn. D. *Scherzero* Diſp. XII. *Anti Bellarmini*, de Pœnit. theſ. IV. ſpeciali de ſatisfact. operis p. 604. Eſto! Deus impo

„impoſuit pœnam, tamen probandum, an ſatisfactoriam. *Bellar-*
„*minus* ipſe Lib. I. de indulgentiis c. VII. fatetur: hominem per la-
„boriosas ſatisfactiones a flagellis divinitus immiſſis non liberari.
„Nam *licet David jeiunet, humi cubet, corbus graviter affligat, V. 20.*
2. Reg. XII. tamen moritur filius e Bathſeba natus V. 18. At. h.l. con-
„troverſia eſt de illis pœnis, a qvibus interventu noſtrarum ſatis-
„factionum liberari poſſumus juxta Papiſtas. V. *Auguſtinus* libro
de peccatorum merito & remiſſione cap. XXXIV. *Calamitates* in-
qvit, *ante remiſſionem, ſunt ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem*
vero, ſunt certamina exercitationesqve juſtorum.

Dicunt Dn. *de Walenburch.* Tom. II. Tract. I. qvi continet compendium controverſ. particular. cap. XXVII. p. 20. *Proteſtantes ſibi perſuadent unum actum fidei, qvo apprehenditur JEſus Chriſtus cum omnibus ſuis meritis, efficere jubilæum, & indulgentiam plenariam, tum culpæ & pœnæ temporalis & æternæ. Nos autem in meritis Chriſti remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ invenientes; qværimus in iisdem meritis, per opera pœnitentialia, remiſſionem pœnæ temporalis; qvalia ap. ipſos adavertendas easpœnas, poſt ejusmodi actum fidei, eſſent inutilia; niſi nobiſcum tenerent, eſſe faciendaopera pœnitentialia, per qvæ vi meritorũ Chriſti, pœna temporalis remitteretur.* Verum reſpondemus: (α) Illam Noſtratium eſſe ſententiam & doctrinam, qvam Dn. *de VValenb.* recenſuerunt, fatemur. Nimirum uno fidei actu, qvo intelligunt juſtitiam Chriſti imputativam, homo ſecundum nos formaliter, ſecundum illos autem diſpoſitive juſtificatur. Hanc Pontificiorum eſſe doctrinam, poſt alios citati Dn. *de Walenb.* Tom. II. tract. VII. de juſtificatione ſatis prolixe docuerunt. Inter alia liceat hoc unam tantum memorare, cap. LI. §. XXVI. pag. 438. pro ſua ſententia ita argumentantur: *Qvicunqve ſpiritum Chriſti non habet, non eſt juſtificatus. Atqvi per ſolam remiſſionem peccatorum, & imputationem*

35. 34. 33. 32. 31. 40 41. 4 2 43. 26. 4 2

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0059
DFG

justitiæ Christi, nemo spiritum Christi habet. Ergo per solam remissionem peccatorum, & imputationem meriti Christi, nemo est justificatus. Adde qvoqve qvæ cap. LII. §. V. pag. 439. de discrimine inter nos & illos circa hoc dogma scripserunt: *Ne pergant aliqvi Protestantes existimare, esse hic tantum controversiam de termino artis, ostendemus, a Protestantibus tolli necessitatem bonorum operum, & veram rationem justitiæ Christianæ, in Scripturis traditæ.* Hæc ipsi, qvomodo cum iis, qvæ alibi, nimirum in *Regula fidei Catholica*, ut ipsimet appellant, docent, cap. II. §. II. pag. 11. qvæ habetur T. II. operum in fine, concordent, nondum videmus. Ita enim illi: *Ex qvibus patet, qvi est fructus secretionis hujus nostræ, vix jam esse controversiam de fide inter nos & Protestantes in hac materia.* Loqvi vero eos de justificatione, totus §. II. citatus testatur. (ε) Si Dn. *de VValenb.* in meritis Christi nobiscum inveniunt remissionem culpæ & pœnæ æternæ; cur non statim simul inveniunt remissionem pœnæ temporalis? cur nova pœnitentialia opera reqvirunt? (γ) Qvando apud nos, ad avertendas calamitates temporales, opera pœnitentialia solenniter indicuntur, his nos non vi meriti Christi dicimus mereri earum aversionem; sed tantum seriam agere pœnitentiam, & pro avertendis illis malis Deum rogare, ut nos, Christi merito justificatos, ab iis imminentibus malis, si divinæ voluntati non adversatur, liberare velit, injungitur. (δ) Si vi meritorum Christi remitti pœnas temporales docent illud esse, qvod legitima applicatione meriti Christi temporalium calamitatum aversio, ut conseqvens tantum ex antecedente seqvatur, recte sentiunt; si vero hanc applicationem per modum causæ meritoriæ se habere affirmant, minus recte sentiunt. *Grotio* respondemus verbis Dn. D. *Osiandri* in annotationibus ad Grotium de J. B. & P. ad citatum *Grotii* locum pag. 1144. num. 3. *Cum culpa*, inqvit, *& pœna sint relata, & relata se mutuo ponant & tollant, impossibile est si dicatur: Deum remisisse culpam, non etiam asserere, Deum remisisse pœnam.* Qvod vel ex ipso auctore confirmari

potest,

potest, qui in Th. I. pœnam dicit esse malum passionis, quod infligitur ob malum actionis: Si ergo cessat malum actionis in conspectu divino, cessat quoque malum passionis.

Idem *Lavatero*, quod Grotio, dictum volumus. Lavaterum in eo a sententia Pontificia discessisse, quod paulo ante, eam pœnam temporalem satisfactoriam esse negaverit, deprehendimus. Quod utrum Grotius etiam senserit, dubitatur.

A multis Nostratium, ut a Luthero T. I. Jen. Germ. f. 60. *Chemnit.* P. II. Exam. Conc. Trid. cap. VIII. de satisfactionibus f. 204. & aliis, ut & in *Apologia Aug. Confess.* VI. de Confess. & satisfact. passim has immissas calamitates seu castigationes, poenas appellari, objici potest. Sed huc refer quæ diximus §. VII. in statu controversiæ exposito. Addimus ex Apol. Aug. Conf. p. 195. ubi ita se explicat: *Quare afflictiones non semper sunt pœnæ pro certis factis præteritis, sed sunt opera Dei destinata ad nostram utilitatem, & ut potentia Dei fiat conspectior in infirmitate nostra. 2. Cor. VI, 9.* conf. B. Dn. D. *Joh. Benedicti Carpzovii* Isagogen in libros Symbolicos Lutheranorum p. 394. & 395. B. *Chemnit.* præter. P. II. jam citat. P. IV. c. de Indulgent. p. 54. & 55. Dn. D. *Samuel. Bened. Carpzovii* Examen novæ proxeos Mafenianæ. Considerat. XIV. pag. 844. Adde *Rivetum* T. II. Sum. Controvers. tract. III. qv. XIII. p. 63. & alios. Circa *Satisfactionem* quænam nostratium mens sit *Apologia Aug. Conf.* VI. de Confessione & satisfactione p. 181. seq. ad oculum demonstrat. Adde ejus expositionem e B. Dn. D. *Joh. Bened. Carpzov.* Isagoge citata p. 389. seq. & aliorum Nostratium scriptis sat multis.

QUÆSTIO III.

An ex hoc loco probari possit tres esse pœnitentiæ partes, contritionem nimirum cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis?

§. I.

Concilium Trident. Seſſ. XIV. Cap. III. *Sunt autem*, inqvit, *qvaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentiæ actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio.*

§. II. *Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi cætero.* Idem l. c. Cap. IV. add. Can. IV. & V.

§. III. In *Confeſſione oris enumeratio omnium peccatorum mortalium de jure Divino eſt neceſſaria.* Idem l. c. Cap. V. Can. VI. VII. VIII.

§. IV. Satisfactionem operis exponit, qvod *poſt remiſſam a Deo per miniſtrum culpam, non ſemper remittatur univerſa pœna.* Idem Cap. VIII. Can. XII. & XIII. De hac vid. qvæ præcedente qvæſtione propoſita ſunt.

Affirmativa Sententia.

Eſt *Bellarmini*, qvi T. III. P. II. controverſia qvarta generali de Sacramento Pœnitentiæ lib. I. Cap. X. propoſit. V. pag. m. 1171, „& 1172. Illuſtre, inqvit, eſt exemplum David II. Reg. XXIV. Ubi „cum David juſſiſſet populum numerari, & in ea re qvadam animi elatione peccaſſet, inqvit Scriptura, deſcribens pœnitentiam „ejus: *percuſſit autem cor David eum*, ecce contritionem & *dixit „David ad Dominum: peccavi valde in hoc facto*, ecce confeſſionē, „*ſed precor Domine, ut transferas iniqvitatem ſervi tui, qvia ſtulte „egi nimis.* Et paulo infra: *Ego ſum qvi peccavi, & ego iniqve egi, „iſti oves ſunt, qvid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra „me.* Et paulo poſt obtulit ſacrificium, & ſic Dominus placatus „eſt: in qvo apparet ſatisfactio, per orationem & ſubjectionem „ad flagella Domini, & tandem per ſacrificii oblationem.

Re-

Respondemus.

I. In contritione qvinqve hæc occurunt (1.) in memoria *peccati recordatio*, (2.) In mente *offensæ divinæ consideratio*. (3.) In voluntate *agniti sceleris detestatio*. (4.) In corde *vindictæ & futuri judicii timor*, (5.) In conscientia per legem vulnerata, *morsus, compunctio, horror & dolor*. Sed sola contritionis consistit tantum in tribus posterioribus. Duo enim priora sunt actus interni, & ad contritionem se habent antecedenter ac efficienter, non autem formaliter. vide hæc ap. B. Dn. D. *Schertzerum* in Anti-Bellarmino de pœnitentia Disp. XII. thesi speciali II. pag. 592.

II. Bellarminus, prævidens exempli allati insufficientiam e Veteri Test. desumti, ubi pœnitentia nondum fuit sacramentum, præmonuit: *observandum est*, inqviens, *tres istas pœnitentiæ partes, non solum reqviri in ordine ad sacramentum, sed etiam extra sacramentum* SUO QUODAM MODO *esse ac fuisse necessarias in omni lege, Dixi autem* suo modo, *propter duas causas. Primo qvia extra Sacramentum non reqviritur confessio omnium peccatorum, qvæ Sacerdoti fiat, neqve satisfactio a Sacerdote injuncta, sed satis est confessio qvædam generalis facta Deo, & satisfactio per opera laboriosa sponte assumpta. Deinde, qvia extra Sacramentum, si qvis aut angustiis temporis, aut alia de causa legitime impediatur, qvo minus confiteri, aut satisfacere qveat, sola contritio interior ad salutem illi sufficit.* An pœnitentia in N. T. sit sacramentum? hoc loco controverti non licet, qvia ad præsentem materiam non spectat, videantur de eo Doctores Theologi nostri passim, ubi partim de Sacramentis in genere, partim de pœnitentia agunt.

III. Contritionem & confessionem adesse videmus, esse autem ideo confessionem illam partem pœnitentiæ distinctam, nondum videmus.

IV. Confessio fuit effectus contritionis, ut etiam subjectio ad flagella Domini, qvæ veræ & seriæ humiliationis indicium.

V. Ora-

V. Oratio & sacrificium non fuerunt opera satisfactoria, sed veræ & salvificæ fidei exercitia.

V. Oratio non per modum meriti peccatorum veniam impetravit, alias mendicus stipem rogando promeretur etiam eleemosynas; sed qvia processit ex fide misericordiæ Divinæ & merito Christi innitente.

VII. Pœnam abbreviatam audio, non vero Davidem satisfacientem. Objici nobis solet Apologia Augustanæ Confessionis, qvæ a tribus pœnitentiæ partibus non abhorreat, qvando p. 165. *Nos igitur*, inqvit, *constituimus duas partes pœnitentiæ, videl. contritionem & fidem. Si qvis volet addere tertiam, videlicet dignos fructus pœnitentiæ, h.e. mutationem totius vitæ ac morum in melius, non refragabimur.* Resp. 1. Nulla hic inter pœnitentiam in sensu Lutheranorum & Pontificiorum harmonia. Nulla hic confessio jure Divino necessaria, nulla satisfactio hic Pontificia. 2. Qvando Apologiæ Auctores (loqvamur cum B. Dn. D. *Carpzovio* in Isagoge „libr. Symbol. ad Artic. XII. de Pœnitentia membro II. p. 376.) „*tres pœnitentiæ* numerant partes tunc (1.) respiciunt ad *nexum* „*indissolubilem* inter *pœnitentiæ Essentiam*, ac *novam Obedientiam* „intercedentem, & (2.) *vocabulum pœnitentiæ* propter *Antinomos* „B. Operum necessitatem negantes *Anabaptistas*, scelera cum Fide commutantes, ac *Papistas* nostram Ecclesiam Fidei omnis pietatis expertis insimulantes, extendere voluerunt, & (3.) Totum *integrale* seu aggregatum ex Antecedentibus & Consequentibus nominare. Atqve ita (4.) per *Partes* non tantum intellige„re ea, qvæ *constituunt* rem, sed etiam, qvæ *eam sequuntur*, seu cum „ea conjuncta sunt, prout Aristoteles *Lib. I. Politic.* vocabulum „*Partis* accipit, qvando Liberos vocat partem Domus seu Familiæ, „non qvasi partes constituentes sint domus, qvam societas nuptialis constituit, sed qvia ad *domum etiam pertinent*. Addimus „qvæ Dn. D. *Alberti* in der gründlichen Wiederlegung eines Päbstischen Buches/ cui Tit. Augustana & Anti-Augustana Confessio,

P. II.

P. II. cap. III. qv. X. pag. 153. dicit. D. Scheffler sagt ausdrücklich in Ecclesiologia P. II. Col. 832. die Augspurgische Confession hat auff gut Catholisch drey Theile der Busse gesetzt/ nemlich die Reue/ Beichte und die Genugthuung. Jener aber (nempe auctor libri citati) spricht anjetzo/ daß die Augspurgische Confession zwey Stück zur Busse/ nemlich die Reue und den Glauben erfordere. Das lasset mir zwey Susannen-Brüder seyn/ welche in ihrer Aussage über der beklagten Unschuld/ so schlecht übereinstimmen! Hactenus Dn. D. Alberti. Objici solet, nos admittere Mortificationem in Apol. Au. Conf. aliqvoties. Verum respondemus, qvam immane discrimen intersit, non tantum ex ipsa Apol. VI. de Satisf. sed etiam e *Carpz.* aliqvoties citata Isagoge ad libros Symbol. p. 690. seq. patet.

QVÆSTIO IV.

An ob solum Davidis peccatum populum innocens peste confectus sit ?

Affirmativa est.

I.

Grotii qvi in tract. de Jure Belli & Pacis lib. II. cap. XXI. §. 17. *Deus*, inqvit, *qvidem ob Davidis peccatum populum pestilentia confecit, & qvidem, ut David censet, innocentem, sed Deus, qvi in vitam ipsorum jus habebat plenissimum. Interim hæc poena erat non populi sed Davidis.*

II. *Heiddeggeri* qvi in Tricade Dissertationum Theologicarum selectarum Tom. I. Dissert. XVI. de Judiciis Dei §. VII. pag.

437. *Imo*, inqvit, *cum liberatis sontibus soli sæpe innocentes plecti videntur, uti in subditis Davidis 2.Sam.XXIV.*

Et qvoties delirantibus Regibus plectuntur Achivi, accidisse & accidere videtur?

Respondemus Grotio (1.)Exemplum adductum insufficiens est ad probandam Grotii thesin. Præsupposuerat, populum non antea commisisse factum aliud, qvod per se sit poena dignum, uti immediate præfatus est: at vero ob peccata, sane gravissima, qvæ utut non recensentur in specie, tamen habentur in genere V.1. II. Sam. XXIV. *Iratus est furor Dei*, qvod alias factum non fuisset, cum non nisi peccanti irascatur Deus.(2.) Notanter existimamus, Grotium dixisse populum innocentem, UT DAVID CENSET, qvo ipso innuit, Davidem sibi *persuasisse* populum esse innocentem, *neqve tamen*, (ut Grotium explicemus ex Grotio in notis ad II. Sam. XXIV,17. ita differentem) *innocens plane populus, qvi silentio factum Davidis probaverat.* Dn.D.*Osiander* in notis suis ad Grotium de J.R.& P. ad cit. locum ex §.XVII. ita respondet: *Verba Davidis, oves ista qvid fecerunt? nec omnimodo excusant populum ab omni peccato, cum David hoc scire non potuerit: nec tam ostendunt, qvale Davidis judicium fuerit de peccati alieni imputatione, sed potius qvanta ipsius Charitas erga populum, cui perfectus a Deo fuerat. Perire ipse cum suis non recusabat, sed populum jam tristibus plagis propter se plecti noluisset, & erat proinde, ut manus Dei potius sit contra se; considerat autem populum illum non vulgarem esse, sed Dei delicias.* p. 1215. (3.) Pœnam h.l. Grotius intelligit vel materialiter talem, qvod scil. populo hæc immissa pestis fuerit hac ratione castigatio, vel pœnam non ipsam, sed poenæ tantum effectum: vel potius populi *non tantam* fuisse poenam, qvanta Davidis, qvod posterius colligere licet exinde, qvando in annotatis suis ad 2.Sam, citatis, addit: præterea ipsius Regis MAXIMA poena, damnum po-

populi. Et hoc modo ea, qvæ in tract. cit. de hac materia scripsit, intelligenda esse testatur, dum hunc e tract. de Jure B. & P. locum citat. (4.) Errorem alias Grotii de Divino dominii jure, qvod cum Sapient. XII, 15. pugnat, vide refutatum a Dn. D. *Zieglero* in notis ad Grotium de J. B. & P. pag. 491. ac Dn. D. *Osiandro* in suis etiam annotationibus. pag. 1202.

Respondemus *Heideggero* (α) Innocentes non fuerunt hic Israëlitæ, qvi vel peccarunt non dissuadendo, vel adulatorie ab blandiendo placitis Davidis, ut putat B. *Franzius* ad Orac. CXXXVI. in Interpret. Scripturæ pag. 885. vel alio modo peccati poenæ jam subjecti. Ita enim *Tossanus* in notis ad 2. Sam. XXIV. Er verstehet das Volck/ welches zwar an dieser Sünde nicht schuldig war/ aber auff andere weise diese Straffe verdienet hatte. Eadem sentit B. *Waltherus* in Harmon. Bibl. ad 1. Paralip. *XXI.* pag. 456 Hinc etiam *Drexelius* in suo Davide c. *XXX.* §. 2. *Hic clamantem audias: insons ego sum! nullam de his rebo culpam commerui! Sit ita, mi homo, sed an meministi, ante triginta annos te in aliud ab isto crimen incurrisse? illius nunc solutio expetitur: ita Josephi fratres, non qvidem exploratores erant, qvod esse arguebantur, sed erant plagiarii, qvi fratrem suum furati vendiderant. Ita populus hic innocens non fuit, cum rebelli Absolomo adhæsit.* conf. qvæ diximus ad sect. I. Exeget. cap. I. §. *III.* (ε) Davidem e clade subditorum suorum, ut & e mortis periculo sibi imminenti satis, grave castigatum fuisse, negari non potest, hinc aliqvo modo plecti visus est. (γ) Si per τὸ *plecti* Heidegger intelligit poenæ materiale, seu castigationem, modo piis in Israeli, impiis vero poenæ formale & poenam proprie immissam fuisse peste, consentit nobiscum.

CONCLUSIO.

HAs e Davidis peccantis & pœnitentis historia controversias per-

pertractasse sufficiat: alias, ut minoris forsan ponderis, sicco præterire pede liceat. Concludamus verbis *Augustini*, qvibus Davidem, in adulterium & homicidium prolapsum, at deinde iterum pœnitentem, descripsit, scopo nostro & historiæ facile accommodandis, in Psalm. L. Qvid, inqvit, caveant homines, diximus: „qvid vero, si lapsi fuerint imitentur, audiamus. Multi enim cadere volunt cum Davide, & nolunt resurgere cum Davide. Non „ergo cadendi exemplum propositum est, sed si ceciderís, resurgendi. Attende ne cadas: non sit delectatio minorum, lapsus „majorum: sed sit casus majorum, tremor minorum. Ad hoc „propositum est: ad hoc scriptum est: ad hoc in Ecclesia sæpe „lectum atqve cantatum. Audiant qvi ceciderunt, ne cadant; „audiant qvi ceciderunt, ut surgant. Tanti viri peccatum non „tacetur, prædicatur in Ecclesia. Audiunt male viventes, & „qværunt sibi patrocinia peccandi. Attendunt, unde defendant, „qvod committere patraverunt, non unde caveant, qvod non „commiserunt, & dicant sibi: Si David, cur non & ego? Inde „anima iniqvior, qvæ cum proterea fecerit, qvia David fecit, i„deo pejus qvam David faciunt. Dicam id ipsum, si potero, pla„nius. David nullum sibi ita ad exemplum proposuerat, ut tu. „Ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis: tu tibi „tanqvam sanctum proponis, ut pecces; non imitaris ejus sancti„tatem, sed imitaris ruinam. Hoc amas in David, qvod in se o„dit David. Præparas te ad peccandum, disponis peccare. Li„brum Dei, ut pecces, inspicis: Scripturas Dei ad hoc audis, ut „facias, qvod displicet Deo. Hoc non fecit David. Correptus est „per Prophetam, non lapsus est in Propheta.

COROL-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0068
DFG

COROLLARIA.

I.

JEjunium formaliter consistit in religiosa abstinentia ab omni cibo; analogice in abstinentia a cibis delicatioribus qvibusvis.

II.

Jejunium non est Virtus coram Deo, neqve mediate, neqve immediate, neqve in se, neqve ex acceptilatione Dei, meritoria.

III.

Nullus Scriptor genuinus & probatus ante Gregorium I. Episcopum Romanum scripsit, invocationem Sanctorum ab Ecclesia fuisse receptam. vid. Apologia Aug. Conf. IX. de Invocat. Sanct. pag. m. 223.

IV.

Canone IV. Concilii Nicæni unicuiqve Episcoporum Eminentiorum limitata sua diœcesis assignata est. Conf. *Launoii* Dissertationem de recta Nicæni Canonis VI. & prout a Rufino explicatur, intelligentia.

V.

Bellarminus in libris de Pontifice Romano multa antiqvitatis testimonia, veluti de eminentia Pontificis Romani agerent, male allegavit, juxta Epistolas *Launoii*. Conf. inter alias ejus Epistolas, qvintam, ad Franciscum Bonum, Tom. I. pag. 17. ubi inter alia sic loqvitur. *Bellarminus sibi canit, non Sedi Apostolicæ, non Ecclesiasticæ Veritati.*

ritati. Quæ sibi sumit lemmata: hæc, cujus antiqvitatis sint, an certa vel incerta, qvo pertineant? non semper expendit, peculiari trutinæ contentus. Nam si aurificum statera expenderetur, vereretur, ne, qvæ ex illis lemmatibus colligit, non colligere, sed potius adjicere cogeretur. Atqve ita, qvod scripturienti magnum esset malum, pagina vacaret.

VI.

Inscriptio vel subscriptio Romanorum Pontificum, qvæ est: *N. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus*, nihil sonat aliud, qvam hunc vel illum N. Episcopum esse Romanæ Ecclesiæ, qvæ Catholicam religionem ac fidem profitetur. Idem *Laun.* Epist. ead. V. p. 1. Adde p. 16. l. c. *Si Cajetanus*, inqvit, *si Bellarminus, si similes alii Curiæ Theologi, novissent, qva ratione intelligenda sit inscriptio vel subscriptio, hanc a simplici & vero tot Romanorum Antistitum sensu ad novas & falsas opiniones non deflexissent, nec adeo leviter contra Sedis Apostolicæ rationem dixissent, Romanum Episcopum supra universam Ecclesiam esse.*

VII.

Non omnes sunt vel sancti, vel fideles, vel a B. Petro missi, qvi, & qvo tempore, & qvorsum vulgo putantur.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0070
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0071
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0072
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0074
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0076
DFG

ritati. Quæ sibi sumit lemmata: hæc, cujus antiqvitatis sint, an certa vel incerta, qvo pertineant? non semper expendit, peculiari trutina contentus. Nam si auriscum tera expenderetur, vereretur, ne, qvæ ex illis lemmati- lligit, non colligere, sed potius adjicere cogeretur. ta, qvod scripturienti magnum esset malum, pagi-

VI.

vel subscriptio Romanorum Pontificum, qva licæ Ecclesiæ Episcopus, nihil sonat aliud, qvam N. Episcopum esse Romanæ Eccle- siæ, qvæ eligionem ac fidem profitetur. I- dem Laun. p. 1. Adde p. 16. l. c. Si Cajetanus, inqvit, si Bell iles alii Curiæ Theologi, novis- sent, qva ratio sit inscriptio vel subscri- ptio, hanc a simp Romanorum Antistitum sensu ad novas & fa non deflexissent, nec a- deo leviter contra Sedu tionem dixissent, Ro- manum Episcopum supra ecclesiam esse.

Non omnes sunt vel sanc vel a B. Petro missi, qvi, & qvo tempore, & q putantur.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853246484/phys_0077
DFG